A
12
I-3
2
C.a.7
7

R 4031

ASSERTIO VETERIS

VVLGATAE EDITIONIS IVXTA DECRETVM SACROSANCTI OECVMENICI & Generalis Concilij Tridentini, Sessione quarta: per R.P.F. Nicolaum Ramos Minoritam, Sacrę Theologiæ Prelectorē, & Guardianum in Cœnobio Sancti Francisci Vallisoletani, & ibi Qualificatorem causarum Sancti Officij.

Del Col.º de la Comp.ª de Jesus de Granada, A. BBE



SALMANTICÆ
Excudebat Mathias Gastius. Anno 1576.
Esta tassado en tres marauedis el pliego.

BIBLIOTECA UNIVER. GRANADA

EL REY.

POR quanto por parte de vos Fray Niculas Ramos Guardian del moneſterio de Señor ſant Franciſco de la villa de Valladolid, nos fue fecha relacion diziendo, que vos auiades hecho vn libro en latin, intitulado Aſſertio Veteris Vulgatæ editionis, el qual era muy vtil y prouechoſo, y nos ſuppli caſtes os mandaſſemos dar licencia para le poder hazer imprimir, y priuilegio por quinze años, o como la nueſtra merced fueſſe. Lo qual viſto por los del nueſtro conſejo, por quanto en el dicho ſe hizo la diligencia que la pragmatica por nos agora nueuamente ſobre lo ſuſodicho fecha diſpone, fue acordado que deuiamos mandar dar eſta nueſtra carta en la dicha razon, y nos tuuimos lo por bien, por la qual vos damos licencia, y facultad para que vos, o la perſona que para ello vueſtro poder ouiere, y no otra perſona alguna podays hazer imprimir el dicho libro que de ſuſo ſe haze mencion en eſtos nueſtros reynos, por tiempo y eſpacio de ſeys años cnmplidos primeros ſiguientes, que corren, y ſe cuentan deſde el dia de la data deſta nueſtra cedula ſo pena q̃ la perſona, o perſonas que ſin tener para ello vueſtro poder le imprimiere y vendiere, o hiziere imprimir, o vender, pierdã toda la impreſsion q̃ hizieré y vendieré, con los moldes, y aparejos della, y mas incurran en pena de cincuenta mill marauedis. Por cada vez que lo contrario hizieren, la mitad de la qual dicha pena ſea para la nueſtra camara y fiſco, y la otra mitad para vos el dicho fray Niculas Ramos, y todas las vezes que ſe ouiere de imprimir el dicho libro durante el tiempo de los dichos ſeys años ſe traya al nueſtro conſejo juntamente con el original que en el fue viſto que va rubricada cada plana, y firmada al fin del, de Alonſo de Ballejo nueſtro Eſcriuano de Camara, y vno

de los que en el nueſtro conſejo reſidé. Para que ſe vean ſi la dicha impreſsion eſta conforme al original, y ſe os de licencia para que lo podays vender, y ſe taſſe el precio en que ſe ouiere de vender cada volumen ſo pena de caer, e incurrir en las penas contenidas en la dicha pragmatica, y leyes de nueſtros reynos, y mandamos a los del nueſtro conſejo, y otras qualeſquier juſticias deſtos nueſtros Reynos, que guarden y cumplan y executen, y hagan guardar cumplir y executar eſta nueſtra cedula, y todo lo en ella contenido. Fecha en Madrid a veynte dias del mes de Nouiembre, de mill y quinientos y ſetenta y ſeys años.

YO EL REY.

Por mandado de ſu Majeſtad.

Antonio de Eraſſo.

YO Alonſo de Vallejo Secretario, del Conſejo de ſu Majeſtad, doy fe que auiendo preſentado ante los ſeñores del Conſejo fray Niculas Ramos Guardian del moneſterio de ſeñor Sant Franciſco de la Villa de Valladolid, vn libro intitulado Aſſertio Veteris Vulgatæ editionis, que con licencia de ſu Majeſtad ſe imprimio, ſe taſſo el precio en que el dicho libro ſe ha de vender a tres marauedis el pliego, y mandaron que eſta taſſa ſe ponga en principio de cada libro. Para que ſe ſepa el precio en que ſe ha de vender, y para que dello conſte de mãdamiento de los dichos ſeñores del conſejo, e pedimiento del dicho Guardian di eſta fe, que es fecha en Madrid a quinze dias del mes de Nouiembre de mill, e quinientos y ſetenta y ſeys años.

Alonſo de Vallejo.

FRATER Chriſtophorus à Capite Fontiũ totius ordinis Minorum regularis Obſeruantiæ Generalis Miniſter, & ſeruus, Reuerendo patri fratri Nicolao Ramos Prouinciæ Conceptionis patri benemerito, & Sacræ Theologiæ profeſſori doctiſsimo: ſalutẽ in Domino. Cum acceperimus te quã dam Vulgatæ Editionis Sacrorum Bibliorum aſſertionem conſcripſiſſe, quæ haud vulgare præfefert eruditionis ſpecimen, & plurimum catholicis hominibus emolumenti allatura videtur; & eam ob rem copiam à nobis excudendi illam per litteras efflagitaueris; non potuimus hiſce tuis honeſtiſsimis votis non annuere, omnemq́ue fauorem impendere, quò tam conducibiles, eruditæq́ue lucubrationes in lucem quàm auſpicatè prodirent. Quapropter harum ſerie tibi facultatem (modò ab ijs quibus incumbit, examinata ſit, atque approbata) mandãdi typis præfatam aſſertionem concedimus, vbicunq́ue id à te commodiùs ac conſultiùs fieri poſſe cenſebis, mittendiq́ue pro animi tui arbitrio Patrem aliquem concionatorem quocunq́; pro ea excudenda eundum fore decreueris, cuius opera ac diligẽtia à mendis, quibus typographorum incuria libri plerunq́ue aſpergũtur, prorſus expurgari queat, & optimis etiam characteribus imprimi: Mandantes per obedientiam, & excõmunicationis latæ ſententiæ, ac quorumcunq́ue officiorum priuationis pœna, vt nemo nobis inferior impedimento eſſe audeat, quò minus hæc noſtra ſcripta executioni mandentur. Vale in Domino. Dat. in noſtro Conuentu Sancti Francifci Caſtri Maris die. 6. Iulij. M. D. LXXVI.

Frater Chriſtophorus, qui ſupra propria manu.

CENSVRA.

ASſertio hæc veteris Vulgatæ editionis iuxta Decretum Sacroſancti Concilij Tridentini, eſt Catholica, ſingulari eruditione adornata, & pari pietate referta: incautis nouatoribus detrahentibus autoritati editionis Vulgatæ ſupprimendis efficax admodum: & vniuerſis alijs viris doctis de hac materia ſyncerè & ſanè inſtrui cupientibus, vtiliſsima.

Vidi etiam tredecim alias Quæſtiones ab eodem autore elaboratas, in duabus quaternionibus contentas, Vulgatæ editioni maximè ſeruiẽtes. Quarum doctrinas ſanas & eruditas maximeq́; Catholicas etiã deprehendi. Erũt certè Eccleſiæ maximo vſui, ſi impreſſæ euulgentur, cunctoſq́; ipſas legentes in Vulgatæ editionis reuerentia & amore confirmabunt, liberabuntque ipſos erroribus & multis alijs incommodis, quæ meritò patientur, qui veteri Vulgatę editioni quicquã dignitatis vel autoritatis detrahere præſumpſerint. Poterit ergo Regius ſenatus, ex cuius mandato hæc omnia vidi, non ſolum tutò, ſed etiam cum multo fructu permittere, vt typis mandata in lucem prodeant. In cuius fidem hîc proprium nomen ſubſcripſi. Datum Madriti 20. Maij. Anno 1576. in meo conuentu Auguſtiniano.

Frater Laurentius à Villauicentio.

ERRATA.

FOlio.1.pag.2.linea.12.pro latina lege natiua.
fol.10 pag.2.lin.13 pro in ſcriptura.l.in ſcripturæ tranſlatione.
fol.26.pag.2.lin.16.pro emendatè, lege emendatiſsimè.
fol.19.pag.1.lin.21.pro reperies, in.l.reperies.
fol.20.pag.1.lin.20.pro peruertam.l.peruertant.
fol.34.p.1.lin.15.pro quidem Spiritus.l.quidē de Spiritus .pro ſimile.l.ſimili
fol.41.pag.2.lin.12. pro Latinè lege Latina.
fol.43.pag.1.lin.5.& lin.21.pro minutila lege minutula.
fol.47.pag.1.lin.1.pro mdoerni.l.moderni.
fol.55.pag.1.lin.8.pro autem concordia.l.autem à concordia.
fol.72.pag.1.lin.4.pro Eccelſiæ.l.Eccleſiæ.
fol.73.pag.1.lin.11.pro ſolent.l.ſolet.
fol.74.pag.1.lin.15.pro qui à me.l. quia me.
fol.81.pag.2.lin.2.pro nuſquamque,lege nunquamque.
fol.83.pa.2.lin.18.pro ſimplicicitati.l.ſimplicitati.
fol.86.pag.2.lin.15 pro debet,lege habet.
fol.93.pag.1.lin.2.pro audirent lege auderent.
fol.112.pag.1.lin.5.pro genus.Caietanus,lege genus,Caietanus.
fol.115.pag.1.lin.10.pro preſpicuum, lege perſpicuum.
fol.119.pag.1.lin.14.pro repu-.l.re pu-pag.2.lin,2.calidis.l callidis.
fol.120.pag.2.lin.18.pro ſcommota.l.ſcommata.
fol.154.pa.1.lin.12.pro retinentes.l.renitentes.pag.2.l.17. ſperint.l. ſperait.
fol.158.pag.1.lin.14.pro quo,lege quem.
fol.159.pag.2.lin.12.pro terminus. l. terminos.
fol.159.pag.2.lin.18.pro Ioberdij.l.Iouerij.

ILLVSTRISSIMO

DOMINO D. GASPARI QVIROga Epiſcopo Conchenſi,de ſummis Hiſpaniæ rebus & ad Reipublicæ ſtatum attingentibus Regio conſiliario, & aduerſus Hæreticam Prauitatem Generali Inquiſitori, Frater Nicolaus Ramos Sacræ Theologiæ Profeſſor & Guardianus Valliſoletanus æternam felicitatem.

SOlent(vigilātiſsime Preſul)qui operas ſuas non inaniter locatas eſſe volunt,aliquem ſui operis Patronū & quaſi Mœcenatē præſtituere, vt eorum libri qui ſunt euulgandi, tali fautore publicum iudicium non formident:quod & mihi vſu modò venit. Paraueram enim aliquot retroactis annis,& quaſi fœtum ingenioli mei multis lucubrationibus parturiebam tractatū de Vulgata editione tuēda (opus quidem hac noſtra tempeſtate non minùs catholicis vtile, quàm tibi gratum,& toti Eccleſię perneceſſarium) Cernēs ego Libellum meum toti Chriſtianæ Reip.fore proficuum, cogitabam illum Pontifici maximo,aut Regi noſtro Philippo(licet exiguum munus)offerre,animo tamē poſtea

perpendens, illorum duorum Eccleſiæ luminum, Dominationem tuã, partes & vices agere, firma (ſi nõ audaci) mente decreui, & apud me ſtatui, has nouas ſtudij noſtri primitias Celſitudini tuæ libenti corde dicare. Et non ab re hoc propoſitũ animo meo inſedit. Cui enim oportuniùs huius operis inſcriptio quadraret, quo licet modico, tota ſanies, aut ſi mauis inſania eorum, qui de noſtra editione malè iudicãt, aperitur, quam tibi (ſacer Antiſtes) qui ſacræ fidei habenas vtraq; manu tenens, tam integrè & incorruptè moderaris? Egregiè profectò tuo munere fungeris, vt pote qui cenſor fidei à Deo adiutus, & à natura bene inſtitutus, propenſa volũtate curas hæreticorum hominum errores euertere, ac penitus extirpare, & pro Chriſti Eccleſia pugnare glorioſè: vt ſic demum veritatem Chriſtianę doctrinæ velut à maioribus accepimus, integram cõſeruemus. Sed mitto ſciens & prudens eximias tuas laudes oratione proſequi, quoniam fama eſt, tuam modeſtiam nil minùs appetere, quàm apud homines laudari. Et omnes ſanè, qui te probè norunt, aſſerunt hoc ſemper fuiſſe tui

ſyn-

ſynceri & Chriſtiani animi ingenium, quę alij affectant & mirantur, mortalia, vel nulla, aut ſaltem caduca & peritura te ducere. Vnde, cõmuni omniũ ferè ſuffragio, ampliſsimis quibuſcunq; honoribus dignus iudicaris. Solẽt nimirum qui ſua opera maioribus aut Principibus dicare deſiderãt, eorum virtutes maximè extollere. Ego tamen, vt dixi, calamum & linguam à talibus tẽperabo, ne potius tædio ſim tibi, quàm obſequio: opellas tamẽ noſtras tuæ Celſitudini ſic commito, vt corrigas, emendes, & tuearis. Nec libet nec licet, quantum laboris huic operi impenderim, referre. Scio (vt qui benè norunt, teſtantur) neminem vigilantiùs & diuitiùs in hoc prælio decertaſſe, an dexteriùs & valentiùs aliquorum eſto iudicium. Cominus & eminus cum hoſtibus ſum congreſſus, & licuit non ſine fructu cum illis conſerere manus. Auſim dicere, neminem in hoc argumento & in hac veritate, magis diurna pariter & nocturna manu verſatum. Expendi rationes quæ huic aduerſantur veritati, & quæ ſunt ab aduerſarijs obiecta, oculatè ſatis æqua lãce libraui: & quæ excuſationis faciem

geſtare

geſtare videbantur, acrioris accuſationis nomen mereri ſum expertus, & multa alia noui quæ nõ licet homini loqui. Hoc vno dicto contentus: qui noſtrum hoc opus, quale quale illud eſt, legerit & perlegerit, omnia iniquorum tela & excipiet, & in illos reſilire retundendo faciet: ita vt in hac parte nihil ei reſtet deſiderá dum. Nil enim indignum continet (verè fateor) niſi me autorem. Sed omnia ſuperat habere te, ô Pater ampliſsime, Patronum & protectorem. Viuas ergo per multos annos fauſtus & felix, ſimul & ſacer tuus Senatus, cui & noſtra dicta & ſcripta humiliter committimus corrigenda.

FRATER NICOLAVS RAMOS CHRISTIANO

Lectori pacem & gratiam precatur.

Accipe cãdide Lector, quiſquis Dei teneris & matris Eccleſiæ zelo, quæ tibi ſcribimus, & omnibus qui in illius gremio fouentur: quatenus ſapiamus omnes non plus, aut aliter quã illa mater omnium & magiſtra docet, docuitq; ſemper, edocta ipſa diuini ſpiritus fœcunda aſsiſtentia; & intra eius limites te contineas, nec prætergrediaris terminos, quos poſuerunt Patres noſtri in exponendo & proferendo vtroque Teſtamento. Qui enim alior ſum diuinam paginam torquent, torqueantur & ipſi, niſi velint melius & ad ſobrietatem ſapere: quos ſuis coloribus hoc paruo opuſculo tibi depinximus. Fac ergo alieno periculo ſapias, niſi mauis deſipere. Nos itaq; diſputationem hanc noſtram, quam, Deo volẽte, modò pro Veteris editionis autoritate proponimus, ita inſtituimus, vt excluſis ſcurrilibus conuitijs omnibus, & muliebribus rixis quàm longiſsimè eliminatis, ſolo rationum ponderе, atq; argumentorum virtute, rem omnem, vt dignum eſt Chriſtiano homine, ſimpliciter, grauiter & purè agamus, faceſſant iurgia litigantium, longè fiant Sycophanticæ calumniæ, pueriles rixæ abſcedãt, ſit noſtra pro veritate ſimplex, pura, caſta, ſancta, & præ omnibus modeſta reſponſio & aſſertio. Te ergo oratũ velim quiſquis hæc leges, vt pio affectu

fectu his noſtris ſcriptis intendas. Nos iuxtà gratiam Dei & eius manum, quam ſuper nos, bonã ſpero & benignam adfuturam, quæcunq; donabit altiſſimus, omnis fons atq; largitor ſapientiæ, pro veritatis ac vetuſtatis defenſione ſimpliciter eloqui, & quantum dabitur obiectis reſpondere curabimus. Et quoniam grandis res eſt quam incipio, ſpiritum mihi ſapientiæ & intelligentiæ in auxiliura ſupplex & confidens inuoco, vt quod meis viribus impleri poſſe diffido, illius mihi adiutorio poſsibile fiat, cui non eſt neq; impoſsibile, nec difficile omne verbum. Tu ergo philochriſte lector noſtra feliciter lege, & noſtros labores ſanctis tuis precibus adiuua & conſolare. Sic domini prælia prælie-

mur, vt æternum reportemus trophæum,

& æterno Deo in æternum

perfruamur.

EIDEM.

SI vel tanta facit conceſſa licentia cuiquam,
Vt ruat in peius præcipitante gradu:
Quid, quæſo, illotis manibus ſi cuiq; liceret
Pandere pro libitu dogmata ſacra Dei?
Non capitum turba Lernæus vicerit anguis,
Quos pareret ſenſus mens maleſuada nouos.
Id benè proſpiciens Synodus, decreuit, vt extra
Vulgatam Veterem verſio nulla foret.
Vnde, quot in Chriſti dimanent commoda plebem,
Vt contrà ex vetita quot nouitate mala;
Hoc tibi præſenti doctoq;, pioq; libello
Aſſeritur ſancta, Lector amice, fide.
Perlege, quàm validis, mirabere, torqueat hoſtes
Scripturæq; ſacræ, Conciliiq; locis.
Cur non pro meritis Auctoris nomen adornem
Quæris? ne decori dedecus ipſe forem.
Quippe viri virtus, & tanta ſcientia rerum,
Augeri nullo laudis honore poteſt.

GRONINGVS.

ASSERTIO VETERIS VVLGATÆ EDITIONIS, IVXTA DECRETVM SACROsancti œcumenici & Generalis Concilij Tridentini, Sessione quarta: per R. P. F. Nicolaum Ramos Minoritam, Sacræ Theologiæ prælectorem, & Guardianum in Cœnobio sancti Francisci Vallisoletani, & ibi Qualificatorem causarum Sancti Officij.

REM meo iudicio certam, & iã iudicatam, in dubium reuocant autores, alioqui pij & docti: quorum testimonijs aliqui iuniores (licet non impunè) audẽt, quasi quibusdam rimulis elapsi, Concilij sanam mentem labefactare. Andreas enim de Vega (vt à nostris exordiamur) libro 15. capit. 9. ingenuè fatetur, respondens Caluino, Vulgatam in hoc esse authenticam, quia non continet pernicioſum errorem in his, quæ fidem & mores concernunt. Verba autem eius ad Caluinum sunt quæ sequuntur. Sed ne erres, vt facis, circa approbationem Vulgatæ editionis, factam in Sessione 4. nec frustra labo-

res in oſtendendis vitijs Vulgatæ editionis, audi obiter hæc pauca: quæ & Philippo dicta ve lim, qui ante te grauiter de hoc accuſat Patres. Synodus non approbauit menda, quæ linguarum periti, & in ſacris literis mediocriter verſati, in ea deprehendunt: approbauit duntaxat Vulgatam editionem, repurgatam à mendis, quæ vitio ſcriptorum, vel calcographorum in ea obrepſerunt, nec eam tanquam è cœlo delapſam adorari voluit. Interpretem illius, quiſquis ille fuerit, ſciebat nõ fuiſſe Prophetam, nec nos meruiſſe hactenus quempiam, qui eodem in omnibus ſpiritu, ſacras literas à propria & Latina lingua, in alienam linguam transfuderit. Ac proinde nec cohibuit, nec cohibere voluit ſtudioſorum linguarum induſtriam, qui aliquando docent melius potuiſſe aliqua verti, & vno eodemque verbo, vel plures nobis ſuggeſsiſſe Spiritum ſanctum ſenſus, vel certè alios commodiores, quàm è Vulgata editione poſſent haberi. Sed in honorem vetuſtatis & honoris, quem ei iã à multis annis detulerant Concilia Latina, quę ſunt ea vaſa; & vt certò ſcirent fideles (quod & veriſsimum eſt) nullum inde haberi poſſe pernicioſum errorem, & tutò illam, & citra periculum poſſe legi: ad coercendam etiam confuſionem quam affert multitudo tranſlationũ, & temperandam licentiam nimiam cudendi ſemper nouas tranſlationes, ſapienter ſtatuit, vt iſta verè vteremur in publicis lectionibus, diſputationibus, & expoſitionibus. Atque eatenus voluit eam authenticam haberi, vt certùm omnibus eſſet, nullo eam fœdatam errore, ex quo pernicioſum aliquod dogma in fide & moribus colligi poſſet; atq; adeò adiecit, ne quis illã, quouis prętextu, reijcere auderet. Et hanc fuiſſe mentem Synodi, nec quippiam ampliùs ſtatuere voluiſſe, ex verbis ipſis, & ex alijs conſuetis approbationibus Concil. potes colligere. Et ne dubites de his, veriſsimè poſſum tibi allegare pro his ampliſſ. & obſeruandiſ. Dominum Sanctæ Crucis Cardinalem, de pietate, & de literis, & ſtudioſis omnibus optimè meritum, qui illi Seſſioni, & alijs omnibus præfuit; ac pridiè quidem quam illud Decretum firmaretur, & poſtea, non opinor ſemel, mihi teſtatus eſt, nihil

ampliùs voluiſſe patres firmare. Itaque nec tu, nec quiſpiam alius propter hanc approbationem Vulgatæ editionis impeditur, quò minùs vbi hæſitauerit, ad fontes recurrat, & in medium proferat quicquid habere potuerit, quo iuuentur & locupletentur Latini, & Vulgatam editionem ab erroribus repurgent, & quæ ſenſui Spiritus ſancti, & ipſis fontibus ſunt magis conſentanea, aſſequantur. Huc vſque Vega: cuius ſententiam per omnia amplexatur Melchior Cano libro ſuo ſecundo de locis capit. 13. Vbi licet multa dicat in Vulgatæ tuitionem, hinc inde diſcurrens, in hanc tamen Andreæ de Vega ſententiam declinat: & quæcunque ibi Cano recenſet ex Driedone mutuatus eſt, libro ſecũdo capit. 1. Eiuſdem ſententiæ aſſertor eſt Sixtus Senenſis in ſua ſancta Bibliotheca. Hoc idem opinatur Ambroſius Catharinus de clauibus Eccleſiæ, claue prima. Sunt & nonnulli alij Patroni huius factionis, qui hanc aſſertionem tuentur, ante & poſt Tridentinum decretum. Mihi tamen horum ſententia nunquam probabitur: ſed ingenuè dicam quod ſentio. Crediderim ego

ego prædictos autores temeritatis nota, vt minimùm, in hac aſſertione eſſe inurendos. Et quis non videat, ſi quod illi dant, & nos concedamus, Rabinos, & Iudaizantes, quaſi ex vno conceſſo, multos in nos machinaturos eſſe dolos? Illico ad exemplaria Hebræa & Græca, vt in ſacrum tribunal nos prouocabunt: & quod iſte aut ille locus non ſit germanus origini cauſabuntur: ſtatimque catholicus nutabit, ſintne Latina conſona Hebræis, indieſq; magis ac magis de veritate noſtræ trãſlationis hærebit: tantoque fiet in eo deterior progreſſus, vt de tota ſcriptura titubare incipiat, cum de vno, quàm de alio loco, maior ratio nequaquam appareat. Quid, quòd crediderim Concilium non potuiſſe verbum apponere, vbi apertiùs & validiùs veritas totius Vulgatæ ſignificantiùs exprimeretur, quàm cum dixit, nemo illam reijcere quouis prætextu audeat vel præſumat? Quouis prætextu dixit: quibus verbis omnino obtruditur noua horum interpretatio, qua eludere verba Concilij ſatagunt. Quò enim feratur eorum animus, velut indice produnt: in dubium

namq; vocant quæ ſit, & vbi Vulgata editio: Quod ſi euicerint, actum eſt de nobis. Non enim prauitatis hæreticæ inquiſitores in ferẽdis ſententijs, & nos eorum miniſtri in qualificandis propoſitionibus, certam & indubitatam ſcripturam habebimus, ad cuius examen hæreticorum inſaniæ ſint, quaſi lance librandæ: quo, nihil Luthero & Caluino magis eſt in votis. Nullus profectò error graſſatus eſt vnquam, qui maiorem Eccleſiæ intulerit perniciem: vndique enim pluſquàm ferreo ariete quatit eam. Si enim noſtra vetus editio libera eſt ab errore, in his quæ fidem & bonos mores tangunt, & non in alijs, quid quæſo, maioris autoritatis habet, quàm ſcripta ſancti Thomæ, quæ ab Vrbano ſexto Pontifice Maximo probantur, & ab Innocentio, in hoc ſolũ quod nihil erroneum continent, quod fidei & bonis moribus obſtet. In quo etiam probantur ab Alexandro Pontifice, quæ ſcripſit Alexander Halenſis noſter, totius bonæ Theologiæ fons & origo. Habet ergo, ſi vera eſt, iſtorum ſententia, nihil plus infallibilitatis habere Vulgatam, quàm reuelationes ſanctæ

Brigidæ, quæ per Papam approbatæ ſunt, vt de pia credulitate tenendæ, maximè in his, quæ fidem & mores non tangunt. Hæc profectò diſtinctio futilis & ocioſa eſt, quæ Concilio non quadrat, nec rationi conſonat. Nam omnis ſcriptura ſacra, ſecluſa horum diſtinctione, eſt infallibilis veritatis: imo eiuſdem veritatis, vtpote quæ ab illo dimanat autore, qui nec fallere, nec falli poteſt. Quæcunque enim canonica ſcriptura nos docet, veritatis & diuinæ reuelationis fundamento innituntur. Prima enim veritas, illorum reuelatrix eſt. Ita namque ineluctabilem continet veritatem, quod Tobias habuit canem, ac omnia alia quæ ſacra pagina percenſet. Teſtimoniũ enim Dei nobis in ſacro codice reuelatum, veritatem dicit participatam ab illo, qui eſt veritas per eſſentiam: & teſtimonium Dei, & Deus, infallibilis ſunt veritatis. Eſtò tamẽ prędictorum autorum diſtinctio de Vulgatæ veritate quicquam valeret, adhuc manebat difficultas inexhauſta, & inuolucris quibuſdam irretita. Nam multa loca aſſerunt illi (qui non ſicut nos de vera Vulgata ſentiunt)

non attinere ad fidem, quæ profectò maximè attinent; vt illud, Foderunt manus meas. neſcio quid delirij fingentes, vt verum & literalem ſenſum à Chriſto excludant; & illud: Et fui flagellatus tota die, &c. Alia etiam fatẽtur ad fidem pertinere, quæ etiam inaniter variant, lectionem alio & alio modo transferentes; vt illud Pauli 1. ad Corint. capit. 15. Omnes quidem reſurgemus. Alij tamen negãter hoc legunt. Quod ſi eis daremus, Vulgatam aliquibus eſſe reſperſam erroribus, non ideo negandum, illam eſſe veterem Vulgatam. Quis enim neget Ciceronem eſſe Ciceronẽ, quantumuis diſcrepet aliquibus in locis, ab illo qui antiquitùs habebatur? Vetus & Vulgata editio ea erat olim, quam Septuaginta interpretes, diuino quodam numine, contexuerunt. Iam tamen, noſtra Vulgata & vetus editio illa dicitur, quam D. Hieronymus, tot laborũ anfractibus peperit Eccleſiæ. Quæ duæ verſiones, licet verbis diſsidere inueniantur, re tamen & ſenſu perſanctè cõueniunt: imo quod Vulgata, quæ eſt Hieronymi, obſcurè dixit aliquando, hoc Septuaginta interpretes apertiùs

tiùs reddidêre. De qua re, ne multis agam, lege Auguſtin. lib. 2. de doctrina Chriſtiana, vbi abundè ſatis huius rei cauſam explanat. Quæ apparens diſſonantia facilè conciliari poterat. Nec erat ratio adeò vrgens, quæ ita valenter nos premeret tanto exemplorum agmine, quod aliqui obijciunt. Alius quidem vt Septuaginta, alius verò vt Hieronymus legit: & quaſi ex duabus lectionibus vnam Vulgatam conficiunt. Euangeliſtę enim & Apoſtoli dum citant teſtimonia, verſionem Septuaginta ſequuntur: quod quidem noſtra Vulgata (quæ eſt Hieronymi) non recuſat. Dum ergo autores hoc vel illo modo citant, vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. Ex quo deprehenditur, quàm perperàm autor quidam vitio dat Vulgatæ Hieronymi, & Concilijs, quòd in autoritatibus non conueniunt. Nec tantopere erat probandus Vatablus & alij eiuſdem farinæ, vt improbaretur Vulgatæ editionis interpres. Et ſi, quæ dicit quidam (gratis tamẽ) ab aliquo gloſſatore appoſita, à Librario verò inſerta, ad normam veritatis expendas, certò certius deprehendas, merum figmentũ

illum ſomniaſſe. Quod enim (vt iam exẽplis agamus) dicitur de.2.Reg.cap.8. de quo ære fecit Salomon omnia vaſa ærea in templo, & mare æreum, & columnas, & altare, omnia verba iſta fuiſſe appoſita à Gloſſatore, & poſtea vitio ſcriptorum hanc gloſſam inſertam textui, & ita notaſſe Lyranum; fallitur Lyranus, quod venia illius dixerim. Nã verba iſta, libro 1. Paralypomenon capit. 18. iteratò dicta, quæ tam ibi, quàm hic, textus ſunt, vtrobique textui inſerta habentur. Nec obſtat quòd oppoſitum doceat magiſter Cano; legerat enim quod dixit: non tamen apud autorem qui tanti eſſet, vt autoritatis ſuæ pondere nos premat. Nec verſio Complutenſis adeò limata eſt, vt potiùs ſit fidendum illi, quàm noſtræ Vulgatæ, quæ ibi inter duas ſtat, non ita authenticas illas. Ac proinde quidam, neſcio ſi iocoſè, aut ſeriò, dixit; Crucifixerunt cum eo duos latrones, medium autem Ieſum. Multa referũt qui à vero diſſentiũt, quę eadẽ facilitate contemnũtur, qua probantur. Si enim adeò leuiter iudicãdum eſſet, nihil remaneret in ſcripturis ſolidæ veritatis: ſicut Auguſtinus contra Hieronymum

nymum intulit de mendacio. Quod ſi ab Hebręis petenda veritas eſſet, periclitaremur certè, cum multis retro annis, Iudæi de induſtria vitiarint exemplaria, vt veteris teſtamenti & noui loca, non ſibi cohæreant. Et ſi ad Hebræorum libros tanquam ad aſylum eſſet nobis confugiendum, profectò ſcripturæ expoſitio (quod obnixè pertentant ipſi) à Rabinis eſſet petenda: cum noſtri ſacri doctores, Septuaginta verſionem, & Hieronymi Vulgatam, expoſuerint. En ergo quò præcipites nos quidam nouatores pertrahere moliũtur. Exẽplaria illorũ à noſtra Vulgata toto errant cœlo, & non tantùm verbis, ſed etiam ſententijs diſident. Poſſem rem iſtam multis venuſtãre exemplis: ſed cõcors catholicorum vox à principio naſcentis Eccleſiæ ſit pro exemplorum myriade: dicam tamen inferiùs referendo abundè autorum loca: ſunt enim illi graues, & omni exceptione maiores. Sed vt ad exẽpla, quæ adduci poſſent, reuertamur, dicitur, Ioſue.11. ſecundam negationem redundare, vbi dicitur, Non fuit ciuitas quæ ſe non traderet filijs Iſrael. Lege amabò Auguſt. illo loco

co ſuper Ioſue. q.17. vbi docet, teſtimonium illud intelligi de ciuitatibus ad quas peruenit Ioſue, non tamen de illis ad quas nō peruenit. Ecce ergo qualiter non redundat ſecunda negatio. Ad ea verò quæ hinc inde adducere poſſet aliquis ex Concilijs & Pontificibus, vt probet hanc noſtram non eſſe Vulgatam, facilis eſt reſponſio. Nam aliquando ſecundum Septuaginta, aliquando verò ſecundum Hieronymum eſſe locutos Pontifices, & retuliſſe concilia ſcripturam, conſtat: nec magni refert verba non transferre, ſi legitimè ſenſus ſcripturæ referantur. Hoc enim non ſolùm doctores & paſtores in Concilijs, ſed & Euangeliſtæ diuina geſta narrantes, ſolent ſeruare. Non enim verbum verbo ſemper reddunt, ſed ſenſum obſeruant. Superſticioſa verò illa & rigida verborum trutinatio, quam Ariſtarchi quidam æmulantur, nihil me mouet. Sunt namq; minutula & neniæ, nec tanti apud illum haberentur, qui nō eſſet malè affectus in noſtram Vulgatā. Et cum ſolùm varia recaſus & tēpora Hebraicè aliqui didicerint, audēt os in cœlum obtendere, & illos carpere quo-

quorum negligentiam (ſi negligētia aut ignorantia eſſet) libentiùs amplexabor, quàm aliorum temerariam & arrogantem oſtentationem. Nam ſit ita quod multis & varijs vocibus, multiplicia myſteria atque varia ſenſa ſignantur: & illa quidem omnia vera, vt autor eſt Auguſtinus libro 18. de Ciuitate Dei capit. 43. & 44. tamen, hoc vero, quaſi cibo hamato ineſcare nos tentant, quod ſint aliqua loca prætermiſſa ab interprete Diuo Hieronymo, quæ magis confirment dogmata fidei. Vide obſecrò quanta hæc locutio laboret falſitate. Res fidei magis confirmat, quod apud Hebræos fontibus venenatis habetur, quàm editio Vulgata, quæ vſu Eccleſiæ, ſacro approbante Concilio, tantæ veritatis eſt habita, vt vna è multis, Canonica & Authentica aſſeratur; ad quam vt ad ſacram anchoram ſit confugiendum. Curioſa quædam verſio improbat, quod habetur Geneſis 3. Ipſa conteret caput tuum. Legit non ipſa, ſed ipſe conteret: eò quòd neceſſariò referatur ad Chriſtum. Tu tamen lege Dionyſium Carthuſ. qui hoc loco egregiè docet nos, præcaue

re

re has nouas lectiones, quasi nõ significet egregiùs verbum ipsa, cum ad Virginem possit referri, cuius semen Christus est de ea cõceptus & natus miro Spiritus sancti opere. Reliqua prætermitto exempla contentus solùm referre, quod primo libro Historiæ, quam dicunt Tripartitam cap. 10. habetur. Cum in magno Episcoporum cœtu, quidam ab alijs rogatus verbum Dei proponeret, selecto themate, Tolle grabatum tuum; ille dixit, tolle cubile tuũ. Spiridion Cyprorum Episcopus vir sanctissimus, tunc in illum cõcionatorem iratus ait; Nunquid tu melior es eo qui dixit, lectũ, quia verbis eius vti confunderis? Quid hic faceret si Isidori Clarij, quid si Erasmi, Vatabli, & aliorum tam varias versiones & inuersiones audiret, quas tantopere commendant noui scripturarum interpretes & quasi diuina exosculantur Oracula? Nec illa lectio quę illis tãtopere probatur nostræ lectioni est præferenda. Vbi enim nos legimus. Et erit firmamentum in terra, legunt ipsi, frumentum: & nescio quid de placentula cornicantur dicentes, quod ista vox meliùs exprimeret sensum de eucha-

eucharistiæ sacramento. Sed profectò ille nõ esset literalis, sed mysticus solùm, à quo non sumitur efficax argumentum. Non desunt autores qui non gaudent infimo nomine, putant tamen hanc consequutionem legitimam aliquot in locis. Lectio Vulgata est incerta: Ergo sacra scriptura est incerta. Hanc consequentiam docuimus iam, & etiam docebimus ex Augustino esse inualidam. Spiritus enim sanctus qui est fons vberrimus non dedignatur, quod eius impulsu aliter Hieronymus, & aliter Septuaginta verterint, sub diuersis verbis eundem sensum prætendens, aliquando verò diuersum, vtrumque tamen ab eodem spiritu intentum. Non enim semper verbum verbo reddere oportet. Vnde Hieronymus Epistola ad August. asserit, sensuum potius veritatem, quàm verborum se ordinem conseruasse. Et ad Suniam & Fretellum, boni interpretis regulam ponit, vt non verba verbis, quasi paria & demensa respondeant, sed sensus sensui. Quod vel Cicero tertio definibus notauit. Vnam & alterã versionem

ſionem ſecuti ſunt doctores vt certam, tametſi variam. Quare quòd detrahant aliqui Vulgatæ fidem, omnino non eſt ferendum: tranquilla certè & antiqua huius Vulgatæ verſionis poſſeſsio, non eſt ſuo deturbanda loco, & legitima præſcriptione ad nutum cuiuſlibet eam dehoneſtare cupiẽtis: terſa & limpida eſt, & decoro venuſtatis prædita eloquio. Vellent aliqui Rhetorum floſculis laſciuientem, fucata & purpurata dictione fluentem: quaſi illa non grauis matrona & antiqua dierum eſſet, ſed iuuenis aliqua petulans, in mille ſe facies vertens, & in varias Protei formas. Lege (obſecro) in hoc propoſitum, Hieronymum ſuper Prophetas, quales ſunt Amos paſtor & ruſticus, Eſaias ſermone diſertus; quibus locis docet, Spiritum ſanctum, qui verus ſcripturæ eſt autor, nunquam eorum naturã & linguæ proprietatem euertiſſe in his, quos vt ad miniſtros calamos ad excipiendum dictata aſſumit. Lege Paulum eloquentiæ pigmenta non affectantem 1. ad Corin. capit. 2. Et ego (inquit) fratres, cum veniſſem ad vos, veni, non in ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ, annuncians vobis teſtimonium Chriſti. Et ſubinde, Sermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtẽſione ſpiritus & veritatis. Quod præterea dicunt, interpretem Vulgatæ non eſſe afflatum diuino ſpiritu in vertendo, fallũtur certè: nam habuit ſpiritum diuinum, vel diuino proximum, vt egregiè docet & euincit doctus ſimul & pius noſter Titelmanus in Apologia pro veteri interprete: vnde multa mutuatus eſt magiſter Cano, & alij qui pro Vulgata decertant. Quòd ſi ille non fuit adeò afflatus diuino ſpiritu (quod certè nunquam concedam) fuit profectò Concilium Tridentinum diuino numine irrigatum, vbi perſanctè ſancitum eſt, omnes partes Vulgatæ pro veris eſſe habendas. Lege Concilium vbi edicitur, vt quicunque omnes libros Canonicos integros, cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia catholica legi conſueuerunt, & in veteri Vulgata Latina editione habentur, pro ſacris non ſuſceperit, anathema ſit. Vide ergo omnem litem diremptam, interpoſitione hu-

ius Decreti. Qua ergo fronte audent quidã no uitatũ amatores Concilio ſe opponere? Quæ illos obſecrò inſania vertit? non queo profectò ſatis mirari, quo modo iſti ſuo ſe gladio interimãt. Suis profectò funibus vincti, in noſtram, velint, nolint, ſententiam ſeipſos dedãt & trahant neceſſe eſt. Nam ſi tanti faciunt patrum & Concilij autoritatem (vt quorundam fert opinio) quòd ſi non eſſet aliquis ſcripturæ locus tam certæ apud nos autoritatis, cùm primum Concilium aut patres talem locum pro certo aſſererent, eſſet quidẽ ille ex tunc pro tali habendus & exoſculandus. Quæ ergo illos deſideria exagitãt, vt ſi fieret à Cõcilio, ratum habeant, & factum iã Tridenti de Vulgata, irritum & inane dicant? Videte quomodo mendacem alioqui linguam, Deus hoc loco diſertam fecit, vt furor horũ, diuinæ veritati etiam arma miniſtret. Vident enim ſe vehementer obligatos, neq; ſibi conſtant ſemper. Nam quod illi affectant à Concilio fieri, iam factum recipere recuſant. Quas poſſunt cauillationes obtendunt, ne videantur Eccleſiæ refragari, ſed ſi attendas, aper-

aperto Marte bellũ eos Eccleſiæ indicere cernes. Ecce quem ſcopum iſti ſibi proponant, & quomodo ſe in omne latus vertant, quia noſtra Vulgata valdè diſcrutiat illos: ad cuius euerſionem nullum non mouẽt lapidem. Inde exorta illis tanta ſitis, vt conferantur inter ſe varij codices trium linguarum, hinc inde aſcitis doctoribus Theologis: quos credo mallent ipſi eſſe Rabinos. Quibus profectò paratis, quaſi ex equo Troiano tanta hæreſum ſentina ſe inſinuaret, vt noſtra Authentica ſcriptura peſſum iret: & iſti Hebraizantes & eorũ deliri Rabini de nobis funeſtos triumphos gaudenter agerent. Quod auertat fidus ille Eccleſiæ ſponſus, qui ſeipſum tradidit, vt illã mũdaret lauacro in verbo vitæ. Excubias igitur agant omnes, qui zelo domini tenẽtur, & cauſam Vulgatæ æquanimiter & conſtanter omnes tueamur, aliud ſentientibus obſiſtamus: ne ſermo eorũ vt cãcer ſerpat, & vt dira & trucu lenta beſtia impunè per Eccleſię campos verè Elyſios debacchetur. Illud iam tacitus nõ prętéribo, quòd multa referunt argumẽta, vt nos ad Græca & Hebraica exẽplaria prouocent;

Quæ prudens prætermitto,ne actum agam; quia magiſter Cano lib.2.capit.13.eruditè ſatis eorum argumenta eneruat,quod etiam abundè præſtat cap.14.Sed vt è multis vnum referam,quod nouitatum affectatores pro Achyle vſurpant,capitulũ.Ego ſolis.9.diſ. vbi Aug. inter alia reputat poſſe contingere, vt interpres non plenè ſit aſſecutus legitimum & germanum ſenſum:quod accommodãt,imo inuruntinterpreti noſtræ Vulgatæ. Huic tamen argumẽto ſine magno negotio reſpondemus, quod Auguſt.dicit illud ad Hieronymum ſcribens; quo tempore in ſcriptura non erat tanta certitudo & conſonantia, quanta modò. Nam tuncferè tot erant exemplaria, quot codices.Et ipſe Auguſt. cum Græcę & Hebraicę linguæ non eſſet adeò peritus, credidit illorũ fontes non eſſe adeò turbidos: & opinatus eſt Hebręos non poſſe exemplaria vitiare.Et iam nunc non eſt tanta fides adhibẽda dicto Aug. quanta Concilio: vt ipſe ibi petit, & ſe facere fatetur. Multa etiam dubia erant tempore illius, de quibus iam dubitare nefas eſt; quale eſt hoc.Nam tempore Aug.&Hieronymi,aliqui

qui libri non habebantur pro Canonicis, qui iam habentur & ſunt. De Impreſſoribus tamen (quod eſt [illegible] alterum argumẽtum) qui noſtram Vulgatam prẹlo mandarunt, erraſſe aliquos in vna voce,aliquos in alia, concedimus poſſe euenire: ſed omnes ſimul impreſſores & ſcriptores erraſſe in vna & eadẽ voce,non fit mihi probabile,neq; eſt poſsibile morale,licet ſit poſsibile logicum. Nam non permitteret Spiritus ſanctus,nõ propter merita Impreſſorum, ſed propter commune bonum Eccleſiæ: ſicut non permiſit errare Septuaginta interpretes,non meritis Ptolomẹi, ſed propter bonum Eccleſiæ: quia ſciebat eã vſuram tanto tempore illa tranſlatione. Vide de hoc Dionyſium Carthuſ. Tomo 1. in principio dum loquitur de varijs tranſlationibus art.2.Aduerte etiam,quod quando in Biblijs in margine apponitur verbum, aliàs, non dicit dubietatem, ſed varietatem lectionis, & vtraq; vera.Et licet daremus librariũ,vel impreſſorem,fuiſſe lapſos, nunquam tamen debemus concedere aberraſſe interpretem, vel non tranſtuliſſe fideliter:quia hoc eſſet apertè

contraire Concilio. Estò tamen errassent omnes librarij, in vno & eodem verbo, vel eorũ óscitantia, vel alicuius Rabini audacia, cõtinget talis error in modicis verbis & quæ non sunt magni momenti, ad asserendum vel destruendum legitimum sensum. Et etiam non permitteret Spiritus sanctus, quòd talis vox in omnibus codicibus errata, redderet sensum falsum & erroneum. Certissimũ tamen credo hanc esse mentem Concilij, interpretẽ Vulgatæ, nec verbis, nec sensu diuertisse à vera & consona versione. Errant etiam hi noui Theologi, qui sacram scripturam interpretãtur secundum Rabinorum somnia, & nõ ad mentem doctorum & sanctorum, qui ab initio nascentis Ecclesiæ in eius expositione tantopere desudarunt. Quod apertè est violare dictum Concilij, vbi præcipitur, vt nullus aliter interpretetur scripturam sacram, quàm ad normam sanctorum, qui in ea sanè & rectè exponenda, tantum operæ & vitæ impẽderunt. Siquidem ad sacros autores est expẽdendus germanus sensus scripturæ, tanquam si ad Lydium lapidem examinetur verus intellectus illius. Et hoc inuiolabiliter obseruatum, optat & præcipit Concilium ab omnibus, etiam si scripta facientium oppositum, non sint prælo cõmittenda. Et certè quadrat Concilio, vsus iam diu ab ineunte Ecclesia, moribus & doctrina longè receptus. Ita Hieronymus ad Algasiam q. 10. Aug. cũ alijs locis, tum contra Faustum Manichæum, lib. 12. cap. 27. Origenes super Numeros, cap. 13. homilia 26. Athanasius li. 1. de incarnatione. Ambrosius de interpellatione Dauid, lib. 1. cap. 5. Omnes hi autores prædictis locis, hoc nomine appellat interpretationes Rabinorũ, quòd sint deliramenta & aniles fabulæ. Maximè autem iubar illud Ecclesiæ Aug. de vtilitate credendi ad Honoratum, contra Manichæos ca. 6. vbi vehementer dolet, quòd aliqui tanta infania teneantur, vt relictis & posthabitis legitimis Ecclesiæ doctoribus, petãt sensum scripturæ, ab infestis Ecclesiæ hostibus, & eorum discipuli fiant, qui seipsos totos exhibuerunt, vt negotium & intestinum bellum faceſſerẽt Ecclesiæ. Cuius etiam sententiæ subscribit Iustinus martyr in Dialogo aduersus Tryphonem

nem. Origenes ſuper Leuiticum cap. 16. hom. 10. ait. Iudęi & Iudaizantes faciunt, vt Prophetię, nihil minus ſint quã Prophetiæ. Clemens Alexandrinus Stromathõ lib. 6. ait: Quòd depoſitum relictum à domino Apoſtolis, eſt vera interpretatio ſcripturæ: & ita dicit, quod ab illis, & non à Rabinis eſt nobis petenda. Idẽ docet Irẹneus lib. 3. cap. 4. Omnia decreta ſanctorum & Conciliorum, apertè clamant, vt ſequamur ſenſum, quem aſtruunt ipſi dum ſcripturam explicant: nam ipſos dedit nobis Deus paſtores & doctores. Lege Concilium Hiſpalenſe ſecũdum, actione 13. & ſextam Synodum Conſtãtinopolitanam, actione 4. Idẽ facit actione 10. & 18. Lege etiam ſecundam Synodum Nicenam actione 6. Quæ omnia Concilia deteſtatur doctores Hebræos, quòd in nouam ſemper recrudeſcunt inſaniam. Et quantæ ſint autoritatis doctores Eccleſiæ, lege Irenæum lib. 4. ca. 43. Doctoribus (inquit) Eccleſiæ fides habenda eſt, qui ſucceſſionem ab Apoſtolis habent, & cum epiſcopatus ſucceſsione chariſmata veritatis acceperunt. Reliquos vero ſuſpectos, eſſe hãbendos & malæ

ſententiæ, lege eundem Irenæum, lib. 3. cap. 4. & alibi pluries. Qui ergo poſthabitis doctoribus Eccleſię, fœtidas aquas Rabinorum ſitit, donum Spiritus ſancti pedibus terit & cõculcat. Saluator enim dixit. Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit: qui autẽ me ſpernit, ſpernit eũ qui me miſit. Lege in hoc propoſitum, Paulum ad Epheſ. cap. 4. Et licet verum ſit, quòd idem locus ſcripturæ poſsit habere duos ſenſus literales, vt multi probabiliter opinantur, vel vnum literalem & alium ſpiritualem, & vterq; eſſet catholicus; tamen ſub huius doctrinæ prætextu, moliuntur nobis neſcio quid mali, hi noui Theologi, proba re nitentes ſacros doctores de ſenſu literali, nihil ſollicitos fuiſſe, imo nunquam illum acie mentis eſſe aſſecutos: cuius rei palmam Rabinis facile tribuũt: qui error omni veneno onuſtus pergit, vt tandem probet, nos nullum ſenſum literalẽ habere de Chriſto, ſed quòd Propheta locutus eſt de alio ad literam. Prôh dolor. Vide horum technas. Iam ſi hoc perſuaderent, non haberemus argumẽtum efficax ad conuincendum Iudęos de verbo iam incarna

to. Et hæc est diabolica illorum machina, vt aperto Marte funditùs euertant catholicam Ecclesiam, quam ex parte aliæ hæreses impugnarunt: sed hæc, omni ex parte illam aggreditur. Quòd si hoc à nobis extorquerent, sanctos videlicet doctores scopũ literalis sensus non attigisse, sed solum spiritualem, & Rabinos literalem, certè occludimus os sanctis, vt nihil contra Iudæos concludant. Siquidem Augustin. & alij catholici docent, quòd efficax argumentum à sensu literali sumitur. Vide, quæso, tortuosos angues palliantes venenum, figurato sermone. Finis profectò figurarum & Prophetiæ non est Dauid, non Salomõ, neque Assyrij: & ita facile deprehendes astutiam Sathanicam, quam zelãt hi Theologi, dum iactãt posse adduci aliquem sensum scripturæ, à Rabinis elaboratum, qui non sit contra sensum sanctorum, sed præter. Certè hęc calumnia est, si non aliud peius, dicere esse aliquem sensum scripturæ quadrantem, qui nõ sit adinuentus à sanctis, sed à Rabinis. Celaret certè diuinus spiritus, aliquod verũ sanctis, qui ine dia & oratione, verum sensum efflagitarunt

ab

ab eo, & hic quidẽ referatus esset perfidis Rabinis. Quod profectò indecens est diuinã maiestatem, ac proinde illud asserere blasphemũ & absurdum. Conantur hi recentiores inuehere Ecclesiæ nouitates, à quibus fugiendum esse, omnes sancti concordi ore nos docuerũt. Quia vt dicit Cyrillus in Epistolis ad Nestorium, nouitas est hęresis seminarium. Nec nouitatibus insistendum, sed Regia via patrum debere nos incedere, docet Synodus Nicena secunda, actione 6. & 7. Et sicut traditum est monumentis antiquorum, à nouitatibus Iudaismi omnes ferè hæreses dimanarunt. Ita Alexander Alexãdrinus, ad Alexandrum to. 1. Conciliorum ante Cõcilium Nicenum, docet, Arrianos Iudaizasse. Et in Concilio Chalcedonensi, actione 2. hæretici appellantur Iudæi. Et 1. tom. Conciliorum in additionibus ad Liberati Breuiarium, beatus Theodorus docet, Sabellium Iudaizare. Et sexta Synodo Constantinopolitana, actione 18. dicitur Macharius factus ęmulator Iudaicę discessionis. Et Synodo Nicena secũda, actione sexta, Gregorius vocat Nestorium Iudaizantem. Exeãt

ergo

ergo nunc hi Neotherici autores, & dicant, poſſe Rabinos docere nos ſenſum ſcripturæ, non contra, ſed præter mentem ſanctorum. Certè ſuum prẹter, equiualet contra, ſicut dicit Paulus ad Gala. 1. Sed licet nos, aut angelus de cœlo euangelizet vobis, prẹterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Et ſtatim. Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Certè Rabinorum ſomnia, quæ iſti tanti pendunt, potius irridenda, quam imitanda cenſeo. Sæpe ſæpius enim dum ſacram ſcripturam non callent, ad fabulas ſe conuertunt: qui ne ſuam imperitiã prodant, aut ignorantiam confiteantur, vbi locus difficilis quem interpretari neſciunt occurrit, ad mendacia confugiunt, & Hiſtorias fingunt, è quibus hic aliquot citabimus. Nam Geneſis 1. vbi textus habet, Maſculum & fœminam creauit eos, Rabbi Scelomonis fingit, Deum prius monſtrum quoddam produxiſſe, in quo mas & fœmina in dorſis colligabantur, poſtea verò alterum ab altero diuiſiſſe, cũ Deum, dicat expreſſè textus, ex coſta viri ſeparatim ab eo, produxiſſe fœminã. Contra quẽ Rabinum abundè Lyranus diſputat ibi. Exodi etiam 4. vbi textus dicit, Moyſen dum in AEgyptum rediret, vxorem & filios aſino impoſuiſſe, inquirit ille Rabinus, qualiter vnus aſinus tres ſimul potuiſſet deferre. Soluens autem quæſtionem dicit, illum aſinum fuiſſe eũdem cum illo, in quo Abraham ligna ad concremãdum Iſaac portauit. In quo etiam Meſſiam venturum arbitratur, qui iuxta Zachariæ vaticinium aſino vehendus eſſet. Itaq; aſinus ille à tempore Abrahæ, vſque ad Meſsiæ aduentum aſſeruandus eſſet: ideoque tantum oneris tunc portare potuiſſe. Exodi etiam 32. vbi textus dicit, vidiſſe populum morã Moyſis in monte, aliud mẽdacium confinxit. Dicit enim Moyſen in diſceſſu pollicitũ, ſe infra quadraginta naturales dies reuerſurum, populũ verò numeraſſe diem receſſus eius, Sathan verò aẽrem turbaſſe, feretrumq; mortui Moyſis Iudæis oſtendiſſe, ac mortuũ Moyſen prẹdicaſſe; ideoq; populum ad Aaron cucurriſſe, vt ſibi præceſſores Deos faceret: cùm textus infrà expreſſè dicat, dixiſſe populum Aaroni, ſe neſciſſe quid Moyſi accidiſſet. Quod minimè

mè dixiſſent, ſi eum mortuum credidiſſent. Aliud affert ca. 13. eiuſdem libri de oſsibus Ioſeph. Vbi inquirit qualiter Moyſes, in diſceſſu ex AEgypto potuerit ſcire, vbi eſſent oſſa Ioſeph: præſertim cum Nilus fluuius illo tẽpore maximè inundaret. Et reſpondet, Moyſen ſcripſiſſe nomen domini ineffabile in aurea lamina, eamq; ſuper aquas proieciſſe, atque natasse, & ad locum vbi oſſa Ioſeph condita erant, peruehiſſe, & ſic oſſa indicaſſe. Alij verò non inferiores huius rei artifices dicũt, ouem quandam natasse, vocemq; humana locũ indicaſſe oſsium. Ad quod illud Pſalmi adducunt, Qui deducis velut ouem Ioſeph. Offendes aliud Exod. 34. ſuper illud, Præcide tibi duas tabulas. Vbi expendentes verbum, tibi, exponunt, ad vtilitatem tuam: quoniam ex reliquijs lapidis laſpidis, quem illi dominus ad faciendas tabulas, ad montis Synai radicẽ oſtenderat, valdè ditatum Moyſen fuiſſe arbitrantur: ideoq; Deum dixiſſe, Præcide tibi. cũ phraſis ſit linguę, Made tibi, præcide tibi, facti bi. Recitabimus adhuc aliud, quod ponit Rabinus Eliazer in Midras, vbi exponit illud ſecundi

cundi Samuelis ca. 8. Tulit Dauid frenũ aquę ductus. Cum (inquit) Abimelec veniſſet ad Iſaac, ait illi, Nouimus Deum tecum eſſe, & tibi & ſemini tuo daturum terras hás: iura ergo mihi, ſemen tuum non poſſeſſurum terrã Philiſtinorũ. Quod Iſaac iurauit, & in ſignũ, pręcidit cubitum capiſtri aſini ſui & tradidit Abimelec. Cum autem poſtea Dauid Philiſtęos voluiſſet debellare, oſtenderunt illi partem carni, quam ſeruauerant in ſignum iuramenti. Quare Dauid eã ab eis vi auferens, debellauit eos. Ideo textus dicit, Dauidem tuliſſe à Philiſtęis frenum aquę ductus ſiue cubiti: quo, quid fœdius dici queat, ignoro. Vbi vides, qualiter Rabini cũ ſacra ſcriptura ludunt, & miſeris Iudæis imponũt. Si plura videre cupis (quoniam pudet hæc recenſere) vide Lyrã 4. Reg. de cerua Ieconiæ, & in multis alijs locis. Hos Rabinos magnifaciunt, & quaſi diuinum Oraculum auſcultant interpretes quidam, magis nouitatis, quàm veritatis amatores: inter quos non infimum locũ obtinet Vatablus, tanto applauſu ab his neotericis exceptus. De quo autor ille Leo Salmanticenſis de

ſacris

ſacris literis & religione Chriſtiana benemeritus cap.1.ſuper Eſaiam pag.22.dicit. Vna tamen in re maximè vtilis eſt Vatablus, vt intelligas quàm inepti ſint in interpretanda ſcriptura fidei, qui (vt Origenes ait in Matthæũ, in illa verba. Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea) imitantur ſacerdotes & pontifices, qui cruce affecêre Chriſtum dominum. Sic enim ipſi, verbum veritatis poſitum in ſcripturis, crucifigunt falſis expoſitionibus ſuis, & occidunt ſuis mendacijs. Sed eliget Deus vaſa in quibus reſurgat & viuat, & adhuc cõfundat ſuos interfectores. Et certè Vatablus multa loca audet referre ad Babylonicam captiuitatem & Senacheribum, contra mentem diui Hieronymi & Septuaginta: imo contra Diuum Paulum in illo loco maximè; Niſi dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen; quem ex Eſa.1. citat Paulus ad Rom.cap. 9. Iudæos quidẽ nõ miror, quippe velamen poſitum eſt ob oculos eorum: noſtros homines ſatis mirari non poſſum, quibus Iudæorum ſaliua ſapiat tantopere, vt Chriſtum obſcurent. Apud Vatablum multa leges, quæ, vt ſe tueantur Iudæi, omnia fingunt, fingunt, ne conſtricti in vinculis à noſtris maioribus videantur. Aug. lib. 12. cõtra Fauſtum Manichæum cap. 37. docet, Iudæorum hoc eſſe commentum, vt negent ſcripturam eſſe typum Chriſti, dicentes bonum malum, & malum bonum. Lege Iuſtinum, in Apologia ſecunda pro Chriſtianis. Vatablus & Iſidorus Clarius venditãt nobis Iudæorum deliria, cũ ſint fures & latrones, quicunq; alia ſenſa obtrudere conantur nobis, quàm quæ ſeruet & contineat Eccleſia, accepta ab Apoſtolis, vt ait Irenæus. Multi enim ex his qui noſtrã tráſlationem Vulgatam carpũt, vix alphabetum Hebræum ſciebant: vt fatetur Eraſmus, qui ait, ſe, ſi quid crepat Hebraicè, nõ id ſine Theſeo facere. Vtebatur namq; alicuius Iudęi aut Iudaizantis opera. Pagninus etiam & Vatablus Iudęorum interpretationem ſequuntur, qui Iudaizantes, quoties Diuus Hieronymus à Iudæis diſſentit, lectionem Hebræam punctis, velut obelis confodiunt: quibus Vatablus & Pagninus magno conatu Iudaicas crepant nugas. Quaſi verò noſtri maiores Eccleſiæ Catholicæ columina, Iudaicas fabulas neſcierint,

rint,eaſque protriuerint pedibus & conculca uerint.Referta ſunt monimenta veterum patrum refutatione Iudaicarum fabularũ, quæ neſcio qua mala ſorte reuiuiſcunt,& ſeſe inſinuant per noſtrorum manus Chriſtiano populo.Nam refutati vſque adhuc Iudæi,& preſſi vaticinijs Prophetarũ, & redacti in eas anguſtias à noſtris maioribus, vnde ſe expedire nullo modo poſſent, comminiſcuntur mille fraudes,mille dolos, inuertunt vaticinia Prophetarum,omnia turbant:& cum nõ audiantur iam ipſi,per noſtros venenum nobis porrigere conantur. Quibus obijcit Chryſoſt.in 7.cap.Ioannis,Homilia.51.quod aliud poteſt eſſe argumentum,quòd vos Iudæi legem non cognoſcitis,quàm quòd non creditis? O inſaniam hominum,qui petitis ſacrarum literarum interpretationem ab inimicis Chriſtiani nominis! Quis tam ſtultè ſapit,vt explanationem Ariſt.ab aduerſarijs petat Ariſtotelis? Iudæi ardẽt odio Chriſtiani nominis, ſunt impij,cerdones,ſutores,nullo ingenio,nulla literatura pollentes. Vnde vitio dãdum eſt potius quàm laudi,Pagnino,Vatablo,Clario,& quibuſdam

buſdam neothericis,quorum nominibus parco,quòd tam mordicùs audent ſententiã perfidam Rabinorum ſequi. Maximè Pagninus cuius capiti imponunt quidam coronam interpretis fideliſsimi ad veritatem Hebraicam, quæ hæſerat vſque adhuc,hęrebitque ſemper multa cum laude in capite Diui Hieronymi. Si repetas animo memoriam præteriti temporis,nunquam factum reperies,quòd tã paſſis velis,Iudaiſmus(etiam cùm itum ſit obuiã per Inquiſitores)per Eccleſiam fuerit delatus. Iudæos ego non miror(qui cœcitatis damnãtur,& excluduntur ab intelligentia ſcripturarum)ſi aliquam rimam,qua elabantur, quærant.Hebraizantes miror non ſolũ cœcos,ſed ſtultos etiam & imprudentes, qui admirãtur Iudæorum fabulas.De quibus Iuſtinus in Dialogo aduerſus Triphonem dicit. Rectum eſt, ô Iudęi,vt ea quæ nõ intelligitis, ab his qui acceperunt gratiam, diſcatis, & non peruicaces ſitis in ſeruandis veſtris falſis interpretationibus, propter quas vos deſeruit gratia Dei, & ad nos tranſijt. Vt enim noſtri ſancti ſcriptores fatentur, ſibi omnem ſcripturam ſonare

 Chri-

Chriſtum, ſic Iudæis (quorum ſententiam re
ferunt & probant hi Vatabliſtæ) omnis ſcri-
ptura ſonat Aſſyrium, Senacheribum, Salo-
monem, Dauidem, Babylonem, præterea ni-
hil: & tamen hęc quidam exoſculantur, & au
ro contra, hæc ſana ſcripta comparant. Cogi
tant enim ſe nihil in gymnaſio docere cùm re
ferunt ſanctorum ſententias, niſi aduehãt ab
exteris nationibus portentoſam doctrinam,
quam audientes, vt raram & inauditam mi-
rentur. Idéo Aug. non ſapit illis. Pagninus ta-
men eſt illis gratus, qui nõ dubitauit pluribus
in locis ſententiam Iudaicam, textum ſacrum
facere, more ſuo; quod Iudęorum impietas fa
cere nunquam eſt auſa. Cuius rei experimen-
tum apertè deprehendet, qui legerit commé-
taria doctiſsimi & facundiſsimi Theologi ma
giſtri Leonis, qui toto illo libro, nũquam pro
meritis laudato, ſuper Eſa. tertio quoque ver-
bo technas Iudaizantium luce clariùs demon
ſtrat: qui nullum non mouent lapidem, vt à
nobis Chriſtum extrudant, & ſuum Iudaiſ-
mum intrudãt. Qua de re toties doctores Ec-
cleſiæ falſitatis inſimulant: imò Diuum Pau-
lum

lum aliquando accuſant, & quando multùm
indulgẽt ei, excuſant: cum nemo ex veteribus
patribus excuſandum diuum Paulum eſſe pu
tauerit vnquam, ſed laudandum: de quo ſic
omnes loquuntur. Paulus ille, in quo Chriſtus
loquitur, Paulus ille raptus in tertium cœlũ,
qui vidit arcana Dei, Optimus ſcripturæ in-
terpres. Abeant ergo in malam rem & cũ cœ
cis, cœci fiant, qui in meridie ſcripturæ ſacræ
latebras tenebrarum ſectãtur. Nobis vero fa-
cri autores diurna nocturnaq; manu verſen-
tur: vtpote qui ſacrum ſpiritũ nobis eructant,
exponentes vtrumq; teſtamẽtum eodem ſpi-
ritu, quo dictatum eſt: non vt Pagninus, non
vt Vatablus, qui de ſuo, verba addunt ſacræ
ſcripturæ, vt poſsit pertrahi ad ſententiam Iu
dęorum. Lege de hac re exempla pluſquã ſex-
centa apud Leonem in cõmentarijs, quę tan-
tà dexteritate, quanta nullus maiori elabora-
uit ſuper Eſa. Pag. 1002. & per totum librum,
aſsidua huius veritatis argumenta reperies, in
in quo egregius ille autor tam glorioſè decer-
tauit pro Dei Eccleſia. Nec ſuffragatur his no
uis Theologis, quod pertentant nobis ſuade-

 re,

re,vt ad Originalia Greca & Hebraica recurramus, & Rabinorum expoſitiones probemus:non ſuffragatur,inquam,eis quod dicũt, Originalia nõ eſſe vitiata à Iudæis, ſaltem induſtria & data opera.Quia certè oppoſitam veritatem nos docet Iuſtinus martyr Dialogo contra Triphonem.Videntes Rabini ſe nõ poſſe ſoluere inſolubilia argumenta,quæ contra eos erãt in Originali, decreuerunt abradere multa,detractis quibuſdam,&additis alijs. Lege Euſebium, lib.4. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap.18.Tertullianum lib.5. aduerſus Martionem,Irenæum aduerſus hereſes, lib.1.cap.29. Baſilium,lib.2.contra Eunomium, Ambroſium ſuper Epiſtolam ad Rom. Hieronymũ in procemio ſuper Epiſtolam ad Philemonẽ, Origenem ſuper Epiſtolam ad Rom. Idem, Leo Papa in Epiſtola ad Paleſtinos. Nicolaus etiam in Epiſtola ad Michaelem Imperatorẽ, Cyrillus ad Dioceſarem Epiſcopum, & alij plures quos ſciens prętermitto. Tertullianus libro aduerſus Iudæos,& lib. 3.aduerſus Martionem illius loci facit mẽtionem, quem iam inde ab initijs naſcentis Eccleſię catholica Eccleſia

cleſia ſic recinit.Dicite in gentibus,quoniam dominus regnauit à ligno. Quem locum expunxerunt Iudæi: & multa alia loca ex codicibus Hebræis, & ex tranſlatione Septuaginta virorum, quòd planè & apertè myſteria Chriſti præ ſeferrent, quæ omnia ſunt eraſa à Iudæis, vt autores modò præfati nos monent.Lege Origenem in Epiſtola, ad Africanum.Effecêre Iudæi vt noſtri abſtinerent citare teſtimonia de Chriſto manifeſtiſsima. Et ita probat Iuſtinus,& arguit furti Iudæos,& corruptæ ſcripturæ crimine & clamoribus extudiſſe à noſtris, vt expungerent voces illas duas,à ligno,&,dicite in gentibus,quę malè illos pungebant.Quam lectionem tamen retinet catholica eccleſia concinẽs illam toto orbe terrarum.Vide Aug.dum enarrat.Pſal.95. Lege Epiphanium,tomo.2.Conciliorum, Synodo Nicena ſecunda,actione 6.Sed quomodo Iudęi ſcripturæ ſenſa peruertãt, palã facit Magiſter Leo celebris autor, acerrimus Vulgatę lectionis vindicator,ſuper Eſa. pag. 685. & pag.964.vbi ſuis coloribus ad viuũ depingit iſtos,qui nigra in candida vertunt; vbi in

hoc propoſitum adducit graues autores, Clementem Alexandrinum, Athanaſiũ & alios. Nihil in Paulo frequentiùs offendas quàm iuſtiſsimas illas querelas, quibus de falſis illis magiſtris, qui nomine cuiuſdam excellentis ſapiẽtię, errores populo venditabant, conqueritur. In hoc propoſitum tantùm, prior ad Corin. Epiſtola tota conſumitur, vt pſeudoapoſtolorum verboſam ſapientiam, quia rectè ſemel ſatum Euangelium ſubuerterant, Diaboli dolum eſſe Chriſtianis oſtendat. Faſtidiebãt Corinthij verorum Apoſtolorum verba ſimplicia, ſubornabat Diabolus miniſtros ſuos, in illorum perniciem, ſeculari ſapiẽtia & verboſa eloquentia delinitos, quò Apoſtolicę ſimplicitatis & verborum Apoſtolorum pertæſi, ab Apoſtolica, quam ſemel ſuſceperant, prædicatione deſcirent. Contra hanc ſecularis ſapientię Diabolicam fraudem eos communiebat Apoſtolus, dum eius Epiſtolę initio quaſi per baptiſmi occaſionem ſcribit; Non miſit me Chriſtus baptizare ſed euangelizare: non in ſapientia verbi, vt nõ euacuetur crux Chriſti, &c. quæ ibi dicit. Et cap. 11. ſecundę ad Corinthios.

rinthios. Timeo ne ſenſus veſtri corrumpantur à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto Ieſu, &c. Vnde diuus Aug. lib. 2. cap. 25. de Gen. contra Manichęos. Omnes, inquit, hęretici generaliter ſcientię pollicitatione decipiunt, & reprehendunt eos quos ſimpliciter credentes inuenerint. Et ita refert Iacobus de Valentia tractatu. 2. prologi ſuper Pſalterium, quod Iudęi & eorum magiſtri videntes quod per conuerſionem Conſtantini totus populus conuertebatur ad fidem Chriſti, cognoſcens manifeſtè Chriſtum fuiſſe verum Meſsiam in lege promiſſum per ſcripturas, eò quòd manifeſtè prænunciant conuerſionem gentium in aduentu Meſsiæ, tunc hoc videntes magiſtri Hebræorum cõgregati ſunt in Babylone AEgypti & ibi confinxerũt ſcripturam Thalmud, vt retinerent ſimplices eorum, & gloſſauerũt falſo modo ſcripturam veteris teſtaměti. Sed tamen mentita eſt iniquitas ſibi. Imo quando Chriſtus venit iam reperit ſcripturam legis & Prophetarum deprauatam per falſas traditiones & expoſitiones Scribarũ & Phariſęorum & Saducæorum. Cuius cauſam narrat

Ioſephus 18. libro antiquitatum, & 2. libro de bello Iudaico. Ideo dixit Chriſtus; Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſęorum. Et, cauete à fermento Saducæorum, &c. Nõ oportet ergo tam anxie Rabinorum deliria ſectari, cùm ſcripturæ verus intellectus, non apud illos, ſed apud catholicos reſideat; qui ſacri expoſitores Chriſtum pectore & ore geſtantes, declarant nobis germanos ſenſus iuxta Vulgatæ editionis verba. Quæ quidem Vulgata editio, vt iam ſemel dicamus, omni firmitate eſtat Decreto Concilij appellantis eam authenticam, hoc eſt, certam & infallibilem. Hoc enim ſonat authenticum vt nos docet Iuriſperitus omni ſanctitate & literarum decore gemmatus, Didacus de Couarruuias, vir noſtro ſeculo ſpectabilis, ac proinde Regij Senatus meritò Præſes lib. vno de Practicis quæſtionibus cap. 19. cuius ſunt quæ ſequuntur verba. Sed & Originale inſtrumẽtum, dicitur ſcriptura authentica, in dict. cap. 1. & in dicta lege 2. de fide inſtrum. atque in his locis quę modo adduximus: ea profectò ratione, quòd authenticum dicatur id, quod ipſiuſ-

ipſiuſmet autoris ſit, & ab eo met autoritatẽ habeat, non aliũde: ſicut explicat optime Guiliel. Budæ. in commentarijs linguę Grecę. fol. 683. Qua ratione authenticũ ſignificat quod certum autorem habet, & idcirco inſtrumenta authentica dicuntur illa, quæ certam & iuſtam autoritatem ac fidem habent: nempe ipſiuſmet certi autoris. Sic Cicero Epiſtola ad Atticum 187. lib. 9. & rurſus lib. 10. Epiſtola 200. vſus eſt aduerbio, αὐθεντικῶς, quaſi ex certa fide certoque autore. Nam authentes, Græcè αὐθέντης, idem quod Latine autor ſignificat. Tametſi Theodorus Gaza aſſeueret in li. de mẽſibus, veteres Latinos non fuiſſe vſos hac dictione, ſecundùm hanc ſignificationem, quæ quidem huius dictionis propria eſt, vt ea ſignificetur is, qui propria manu aliquid patrauerit ac fecerit. Et tamen ipſe Budæus & Alciatus lib. 2. parerg. cap. 46. probare conatur ex Cicerone & alijs maximè iuriſconſultis, etiã apud veteres eam ſignificationem receptam fuiſſe, vt Authenticum dicatur, quod certam fidem & autorem habet. Idcirco dicimus Iuſtiniani nouellas Authenticas, quòd certam fi-

dem

dem habeant,& ſint ex ipſomet Græco Originali ad literam traductæ. Igitur Authenticum inſtrumentum ex prima & propriori ſignificatione dicitur ipſum Originale, quòd ſit ipſiuſmet primi autoris, ab eoque ac non aliunde fidem habens. Deinde dicitur etiã Authenticum inſtrumentum omne illud, quod certam & indubitatam habet fidem. Hactenus præclarus Couarruuias. Siue ergo capias Authenticum pro Originali, ſiue pro tranſſumpto per omnia conſonanti Originali nõ vitiato & germano, quouis modo intelligas, ſtat Cõcilij Decretum: ſiue exponas, pro Authentica habeatur, id eſt, loco originalis, vel pro Authentica habeatur, id eſt, per omnia reſpondens originali vero & nõ corrupto; vtro ergo modo intelligas, habes illam Authenticam à Concilio. Igitur poſt ſacri Concilij Tridentini Decretum omnis lectio Vulgatæ editionis eſt ſic Authentica, vt non ſolũ ſit vera, ſed de fide: ita quod ſi aliqua fuerit illi contraria eſt reijcienda, nulliq; licet aliquam illi afferre expoſitionem, ſanctorum patrum expoſitioni contrariam: aut aliquid per tropũ explicare, quod ſancti ſine tropo explicant. Nouam verò expoſitionem non contrariam licet afferre. Cui editioni tantam valoris energiam præſtant verba Cõcilij, vt nihil firmiùs & certiùs dici poſſet, ad illam omni ſecuritate circumuallandam. Per verbum quo vocat illam Authenticam, & nullo prætextu reijciẽdam, apertum conſtat, nullum reſtare ſubterfugium ad illam eneruandam, quo ad ſenſus & verba ſimul. Firma ergo manet & muris vndiq; circumcluſa, dum Concilium pro illa talia protulit verba, vt nihil clariùs & certiùs dici potuerit, ad illius infallibilitatem aſſerendam. Quorſum enim Concilium tot cõgeminaret verba, cùm in Decreto de Canonicis ſcripturis ait? Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus prout in Eccleſia catholica legi conſueuerunt, & in veteri Vulgata editione habentur, pro ſacris & Canonicis non ſuſceperit, & traditiones prędictas ſciens & prudens contemſerit, anathema ſit. Certè non ocioſè concilium tot apposuit verba. Nam ſi nõ intelligas Vulgatam eſſe aſſertam omni certitudine & veritate, etiã

quoad verba ſingula, ſed dicas iuſſam recipi cum omnibus libris & capitulis: nõ opus erat dicere cum omnibus ſuis partibus, ſed ſufficiebat dicere libros ipſos integros, nec oportebat magis exprimere, prout in Eccleſia catholica legi conſueuerunt, nec opus erat addere, & in veteri Vulgata editione habẽtur. Certè quando Cõcilium tot ingeminat verba, voluit omnino notificare cõceptum, quem de Vulgatæ certitudine omni ex parte conceperat. Et qui nomine Authenticæ illam inſignit, extra omnem litem vult illam omni firmitate donatã: Vt in poſterùm nullus cõtra eam audeat oblatrare, nullo prætextu, inquit, præſumat quiſpiam poſthabere illam. Et ita non ſolum alijs tranſlationibus antefertur, ſed in ſeipſa omni certitudine coronatur: vt nemo contra illam quouis colore quæſito audeat obgãnire. Nec me latet quoſdam ècontra obijcere, Concilium non adeò rigidè eſſe exponendũ, vt Vulgatam impugnantes, nota hæreſeos dãnauerit. Quia dicunt illi, vno è quatuor modis ſignificant nobis Concilia ſe velle nexu hæreſis innodare contra facientes, vel declarando hæ-

reticos

reticos eſſe, oppoſitum ſentientes, vel anathemate percutiẽdo, vel ſub excommunicatione ipſo facto incurrenda præcipiẽdo, vel aliquid firmiter credendum & tanquam dogma fidei catholicæ accipiendum decernendo. Sed aiunt ipſi, nullus prædictorũ quatuor modorum eſt interpoſitus à Concilio dum iudicat de Vulgata. Quibus ego. Certè modi quos recitant veri ſunt, vt recenſet magiſter Cano li. 5. cap. 5. Tamen duos illorum ſtatuit Concilium illa Seſsione 4. & cùm indixit anathema non recipientibus integros libros cum omnibus ſuis partibus, & quando fidelibus proponit Vulgatam editionem firmiter accipiendã vt Authenticam, & nullo prętextu reijciendã. Certè ex ipſo modo dicendi adimit omnem anſam dubitandi de eiuſdem Vulgatæ certa veritate. Scio tamen alios non parui nominis Theologos ſentire, quòd Vulgata non eſt ſtabilita, niſi in his quę fidem & mores tangunt: in alijs tamen liberum eſſe de ea liberè iudicare citra hæreſim, non tamen citra notam temeritatis & audaciæ. Sentiant ipſi quod velint: mihi tamẽ, mea, quam prædixi placet ſen-

tentia

tentia. Nec me mouet, quod ſcripſit (& vtinã nũquam ſcripſiſſet) noſter Vega loco iam re lato, de ſecuritate, de qua certiorem illum fecit Cardinalis qui præerat Concilio. Ille enim nõ erat tãta eruditione clarus, maximè Theologiæ, vt eius reſponſio ęquiualeret Oraculo: nam priuatim & non ſolẽniter legatum agens reſponſum dedit. Et certè ſi ipſe Vega, Cano, & alij magni nominis magiſtri viderent, quæ nunc experimẽto didicimus, aliter ſenſiſſent, & ſatis conſtanter placita mutaſſent: ne quaſi ex modica ſcintilla, totus conflagraret orbis & Chriſtiana religio peſſum iret: fauilla modica ingentem ſiluam ſi non reprimatur abſumit, & non repreſſa nouitas vires acquirit. Auderent enim nouitatum amatores, exorbitare à regula patrum, & quaſi viperei fœtus exedere viſcera matris Eccleſiæ: vt deſcendant in arenam, & cum ſacris autoribus digladientur. Sed ſoror noſtra, quæ iam paruula non eſt; vbera namque habet, quibus nos lactat, & hoſtes deterret. Certè ſi illi pro ſe tuendis, nobis obijciunt & inculcant ſuos fautores non infimæ claſsis, vt celebrant ipſi,

ipſi, nobis etiam nõ deſunt Theologi, primitias ſpiritus domini forſan habentes, de literis & Chriſtiana religione optimè meriti, qui pro zelo domini pręliantur gladio Sancti ſpiritus accincti, quod eſt verbum Dei; pars illorum in noſtram ſanam ſententiam ſubſcribentes, pars verò hoc idem typis & pręlo mãdantes: è quibus vnus eſt noſter Antonius de Corduba ſacræ Theologiæ & ſcripturæ diuinæ celeberrimus autor, ſuo lib. Quæſtionarij Theologici. q. 17. lib. 1. §. 5. Qui dũ loquitur de qualificandis propoſitionibus, ſic nos monet. Sed iam, inquit, hæc noſtra editio Vulgata, eſt in Concilio Tridentino Seſsione 4. ſolẽniter approbata, vt ei non liceat contradicere. Eandem nos docet ſententiam præclarus ille & omni ſeculo commendandus, vtpote qui Theologiam tam mirificè illuſtrauit Magiſter & pater Dominicus de Soto in prologo de editionibus, quem commentarijs ſuper Epiſtolam ad Rom. pręfixit, inter multa quę ibi eloquitur de Vulgata, tãto viro digna, ait: At verò vetus Vulgata q; editio eſt, quã enarrãdam aſſumpſimus. Enimuero (vt minimè

inficias,ierim) trilingues huius ætatis homines nonnihil lucis potuisse sacræ paginæ affundere suis annotationibus, si se extra, in marginibus cõtinuissent: tamen quòd textua les limites adeò audenter temerauerint,indolendum quidem est plurimum, &c. Lege ibi multa,&illa quidem diuino pectore dicta.Et subinde dicit, Itaque vt ad intermissa redeamus,cùm his iustissimis de causis nuperrime sancta Synodus Veterem editionẽ ex vniuersis vnam elegerit ac receperit, eãdem nos defendendam suscepimus,atq; ab istorum noua torũ traductoribus,pro virili nostra vindicãdã.Quam idcirco precor obtestorq;,vt quiuis Typographus fideliter intertextã curet, qui nostra hęc excuderit commentaria. Hæc ille magister. Et apertiùs suam insinuat censurã de veritate Vulgatę lib. 4. sententiarum dist. 43.q.2.art. 4.dum respõdet quæstioni ibi mo tę,dicens:Omnes Latinos & nõnullos ex Grę cis, non legere, Omnes non dormiemus, sed omnes quidem resurgemus. Et ait, quin etiã à tempore Tridentini Synodi,vbi editio Vulgata inter omnes est solẽniter suscepta,nescio

an

an contraria lectio Græcanica, peiori quã temeritatis nota sit subnotãda, eò vel maximè, quòd tum rationes,tũ & Oracula sacra huic, quæ Vulgata est editio, liberiùs patrocinẽtur. Vide ergo dexterrimos Christi pugiles, à nobis stantes,& vexillum subleuantes pro integritate Vulgatæ editionis. Scio quosdam eò progressum feciſſe vt iam fateantur,argumẽtorum vi coacti, Veterẽ editionem continere veritatẽ infallibilẽ,in sententia & sensu,tam in his,quæ attinent ad fidem & mores, quàm in alijs:in hoc tamẽ persistũt,nõ esse in verbis infallibilem,quantũ ad omnia:& hoc dicto credũt se resipiscere,& in bonã redijsse mentem. Quibus suffragãtur quidã. Hoc tamẽ nõ euacuat difficultatẽ,nec per hoc excutiunt à se põdus erroris quo premũtur,vlterius in concedẽdo procedere debẽt vberiores progressus faciẽdo.Ecquis enim non videat adhuc restare dubiũ,quod certũ est apud me,de fida trãslatione Interpretis,quam isti infidam,nedicã perfidam,in verbis faciunt? Ego enim nunquam obtrudar in talem sentẽtiam,vt dicam,Interpretem fuisse ignorantem aut oscitantem, in

vel vocula vertenda. Perſiſtam tamen in hoc, ſi quis lapſus aut error obrepſerit ſcripturę, illud librarij incuria & non Interpretis deſidia contigiſſe. Quod ſi accidit non vitio vertitur Interpreti, qui ſi non Propheticum, ſaltem diuinum habuit ſpiritum, in hoc vt non deficeret, ſufficientem. Nam vnus & idem ſpiritus, ſemper ſibi conſtans, maiores & minores cumulatiores & non ita æquales ſemper operatur effectus, diuidens ſingulis prout vult. Nõ ergo aditus eſt & recurſus, ad fontes Græcos & Hebræos omni ſpurcitia fœdatos: non, inquam, eſt recurſus ſecurus, ſed potius eorum exemplaria ad examen noſtræ Vulgatæ ſunt libranda. Dum verò Concilium præcipit, vt editio Vulgata, quàm emẽdatè imprimatur, non remittit nos ad Græcos & Hebræos riuulos iam venenatos, ſed monet vt ex omnibus codicibus impreſsionum Vulgatæ editionis, quæ circunferuntur, fiat impreſsio vnius purioris, in quam reperiuntur plures codices cõuenire. Quod iam elaboratum eſt, codicibus hinc inde collatis ab impreſſoribus, qualis eſt Plantinus & alij qui circa hoc feliciter, ſuas ope-

operas Eccleſiæ locarunt non ſine adminiculo virorum doctrina præſtantium. Vnde in principio Bibliæ, quæ anno domini 1567. fuit Lugduni impreſſa apud Ioannem Torneſiũ Typographum Regium, ſic habetur. Biblia ſacra ad optima quæq; Veteris, vt vocãt, trãſlationis exemplaria ſumma diligentia, pariq; fide caſtigata. Hoc idem reperies in alijs Biblijs, à Concilij tempore impreſsis, qualis eſt Benedicti, & quorundam aliorum. Nec oportet modò tam ſiniſtrè & ſuperſtitioſè Concilij verba interpretari, vt oporteret cœlum terræ miſcere, ima ſummis confundendo, vt trilingues nouam nobis cuderẽt Bibliam ſacrã, noua iacientes fundamenta, iacto, tot iam ante ſeculis, alto & vero fundamento, quod eſt Chriſtus Ieſus, & Eccleſia Romana, mater & magiſtra, iure nuncupata tali nomenclatura in Concilijs, vt noua adoleſcentula puellaſceret (vt ita dicam) & prima acciperet rudimenta ab his, quorum aliqui vtinam elingues potius quam trilingues fuiſſent. Nec dammo peritiam linguarum, ſed virulentiam venenatorum hominum. Quod ſi ſententia & ſenſus

Vulgatæ veritati consonat, vt fatemini inuitè vel ingenuè, quorsum tam ardēter affectatis verborum versiones & inuersiones, ne dicam peruersiones? Consulite diuum Hieronymum, in præfatione ad Damasum Papā, vbi dicit, non esse mutanda verba si sensui cōueniunt. Et sexta Synodus Constantinopolitana sub Agathone actione 12. sic nos informat: non solum imitanda verba scripturę, sed & verba quibus communiter vtuntur sancti, quantumcunq; trita & protrita sint illa verba: at proinde meliora, quo cōmuniora sunt, & maiori pretio habenda. Septuaginta interpretes, sensum sensui reddiderunt. Hieronymus tamen ad verba composuit suam versionem: licet aliquot in locis nostræ Vulgatę, aliquando transfert verba Septuaginta interpretum, prætermissis verbis, quæ habētur in Hebræo. Scriptura tamen horum Septuaginta si benè pensetur, paraphrasis est nostræ Vulgatæ. Et quamuis dicat Hieronymus super Paulum ad Ephes. ca. 1. super illis verbis, Ante mūdi constitutionem. Et Ambrosius super illis, Omnis consummationis vidi finē, quod propter

pter penuriam & inopiam linguę Latinę, nō satis exprimitur verbi illius energia quod in exteris linguis significantiùs dicitur, hoc tamen habet intelligi quod vno verbo non exprimimus: sed quod vno non fit, multis adiectis conficitur & explicatur. Estò tamen daremus, verba Vulgatæ posse meliorari, absolutè & seorsum verbo quolibet considerato, respectiuè tamen in ordine verborum adinuicē & ad totam Vulgatam, non potest perfectior haberi. Sicut dicimus de orbe cōdito. Quamuis enim quælibet res sit bona & possit magis perfici, manente specie, accidentaliter, & ipsa corrupta vel variata, essentialiter: si tamē per respectum ad omnia consideres, restat inde pulchritudo & decor vniuersi qui in rerum varietate & diuersitate cōsistit. Singula enim quæ Deus condidit sunt bona, sed respectiuè & in ordine ad totum sunt valde bona. Sicut in imagine color niger imperfectus est, albū vero adiacentem, miro lustrat & eleuat decore. Ita & vermiculus facit ad decorem vniuersi: sic & in instrumento musico chorda quæ obscuriùs & minus sonat. Nam alioquin non

 resul-

reſultaret harmonia, nec ſonus eſſet æquè gratus. Quod adeò verum eſt, vt quidam intrepidè tueatur, melius eſſe quòd damnatus, ſit damnatus quam ſaluus: ſi non abſolutè & ſecundum ſe, tamẽ reſpectiuè & in ordine ad decorem vniuerſi. Sicut in pulchritudine corporis, meliùs eſt quòd pes ſit pes, & manus ſit manus, quã quod omnes partes corporis ſint oculus. Ita etiam philoſophãdum eſt ad inſtar horum de noſtra Vulgata. Libentiùs tamẽ dicam, eam eſſe meliorem, non ſolum ſenſu & verbis reſpectiuè, ſed etiam ſeorſum & abſolutè. Nam verba quæ intentant iſti transferre, magis ſignificantia, & quæ magis exprimerent mentem Spiritus ſancti, nec ſignificãtiora, nec aptiora ſunt his, quæ modo habemus, vt probat Dionyſius Carthuſ. ſuper Geneſim cap. 3. & Titelmanus noſter. Pſal. 71. verſu 16. & in fine Pſalmorum, vbi multa ſuppeditantur exempla, è quibus vnum aut alterũ accipe. Apud Hebræos ſic habetur, In omnem terram exiuit curſus eorũ. Noſtra vero Vulgata habet, In omnem terrã exiuit ſonus eorum. Pſal. 18. Et ita citat Paulus ad Rom. cap. 10. Quis

10. Quis non videat, aptiùs & ſignificantiùs ſignificare ly ſonus, quã ly curſus? Non enim omnis curſus ſonat & ſtrepitum facit. Alterũ exemplum habes cap. 10. Epiſt. ad Hebræos. In capite libri ſcriptũ eſt de me, habet noſtra Vulgata; Hebraica autẽ lectio habet, In volumine libri, ſcriptum eſt de me: maiorẽ tamen energiam indicat ly in capite, quam ly in volumine: multi enim è media plebe in volumine ſcribuntur: in capite tamen libri, non niſi proceres & magnates. Accipe tertium exemplum. Citat Paulus ex Pſal. 39. Corpus autem adaptaſti mihi: ita enim habet Vulgata; Hebraica tamen lectio non ſic, ſed, aures perforaſti mihi. Vide quantum intereſt inter corpus & aures, vtpote inter totum & partẽ: & tunc deprehendes quam ſignificantius noſtra Vulgata referat vnionem verbi Hypoſtaticã, quã Hebraica lectio. Eant ergo nunc hi ludimagiſtri, qui Hebraicas fimbrias adeò dilatant, mancam & mutilam noſtram editionem arbitrantes, cum ipſa ſignificantius Deum & pietatem reſonet: & vice verſa Hebraica lectio quæ nunc habetur, quam illi tenſis vlnis

excipiunt & complexantur, tortuoſis & lubricis verbis, in Iudaiſmum magis, quam in Chriſtum propendeat. Non quòd exemplaria Græca & Hebræa non ſint vera, ſi eſſent pura, ſed iam adulterina & fide carentia ſunt, vt qui norunt fideliter referunt. Neq; ſi eſſent defecata oporteret iam modo ad illa diuertere & regredi: poſsidet namq; pacificè & alta quiete dormit noſtra Vulgata, tot propugnaculis circũamicta. Addiderim tamen his quæ prædixi, verbum ſaltem vnũ, & eſt illud. Dato, licet nunquam conceſſo, poſſe aliqua verba noſtræ editionis in melius mutari & clariùs verti, non expediret tamen hoc fieri: quia ſpiritus diuinus vel diuino proximus, nouit quid faceret, dum mouit Interpretem & animum eius impulit, vt hæc & talia nobis adduceret verba, quæ maximè conuenirent noſtro inſtituto: & alicubi voluit apertius, alicubi verò obſcurius dignatus eſt loqui: & nõ temerè videtur aliquando barbariſmum, aliquando ſoloeciſmum intonare: ſed hoc abdito ſuo conſilio & magnifica prouidentia. Dũ enim barbariſmum ſonat, nihil minus quam barba-

barbariſmum habet. Et vt iam quod ſentio ſemel dicam, ſi aliqua reperirẽtur verba, quibus reſperſa eſſet noſtra Vulgata, & illa non eſſent adeò apta vt alia, quæ pro eis ſubſtitui poſſent, non decebat, neq; expediebat, vt columina Eccleſię votis horũ condeſcẽderẽt: quia eſſet reſerare ianuam vt ſenſim noſtram ſcripturam labefactarent, & iam inaniter tumerent ſe aliquid à noſtris extorſiſſe: multa enim licent quæ tamen non expediũt. Poterat profecto Concilium Tridentinum, ſi vellet, communionem ſub vtraque ſpecie porrigendam petentibus concedere; noluit tamen, & non ſine diuino numine. Illi enim quibus hoc eſſet impenſum, acclamarent, nos deuios, ab ipſis in viam eſſe redactos: & quaſi ex vno conceſſo, improbis precibus ad multa alia innouanda nos ſollicitarẽt, & ad infringendum ritum Eccleſiæ etiam in alijs pergerent. Nefas ergo eſt iſtis concedere quæ tam obnixè intentant, ne in aliquo nos ſuperaſſe videantur, & inde (qua ſunt arrogantia) in ampullas ſe erigant: maximè, cum noſtra editio illorũ conatibus non egeat. Reſipiſcant ergo miſi deſipere omnino

nino cupiant. Super his te paucis benignè lector volui prȩmonitum. Qui volet intelligere vnde exorta fuerit lectionum varietas, audiat. Inde trahit originem, à polyſema, id eſt, ȩquiuoca & variȩ ſignificationis voce, quam non rarò habet Hebraica dictio. Quare vnus ſic vertit, alius vero aliam prȩeligit: lectio tamen Vulgatæ omnibus prȩſtat & anteit. Quam ob cauſam tales diuerſitates Eccleſiæ reliquerit, ſolus ipſe nouit cui nemo eſt à conſilijs. Hoc tantùm breui verbo accipe, ſanctos Apoſtolos iuxta noſtræ Vulgatæ lectionis ſententiam, aliquoties ex Pſalmis loca citare, quȩ in Hebrȩo ſecus haberi eſt manifeſtum. Nemo inquit Titelmanus in fine Pſalmorum, cum diuerſam inuenerit Hebraicam lectionem à noſtra Vulgata Latina, turbari debet vel offendi, ſic vt de lectione noſtra Vulgata, ſiniſtrè iudicet, aut quaſi ſuſpectam & non veram aſpernetur. Non paruæ enim neque Vulgatæ foret audaciæ, ea quæ tantis retrò actis ſeculis à maioribus noſtris, tam Græcis, quàm Latinis, habita fuêre in ſumma autoritate, tã leui ratione contẽnere aut vili pendere. Illud enim conſi-

conſiderandum eſt, bonam partem iſtarum, quæ videntur, aduerſitatum, magis in verbis eſſe, quàm in ſententijs. Nam fit non rarò illic etiam, vbi prima facie nihil videtur eſſe conuenientiæ, poſt introſpectam penitùs vtramque lectionem, & alteram cum altera diligentiùs collatam, vt ſententia prorſus eadem inuenia tur, & quæ obiter tantùm conſiderata, plurimùm videbantur diſsidẽtia, poſt exactiorem penſiculationem, eadem in bonã cõcordiam, minimo negotio reducantur. Hactenus Titel manus. Cuius etiam verba, in Apologia pro veteri Interprete tuendo, non dedignabor referre, imo verbum verbo reddere, & vt verum fatear tranſcribere: ſtylus enim eius miro decore venuſtatur, doctrina verò quaſi è cœlis aduecta videtur. Liber ille, collationes continet, colloquij more ſuper Epiſtolam ad Rom. Vnde Magiſter Soto, multa & non ingloriè mutuatus eſt, vt conficeret ſua commentaria ſuper eandem Epiſtolam. Apologiam verò quȩ eſt prima pars libri, nos tibi non infideliter referemus: quia oportuna ſunt noſtro propoſito, pro tuenda Vulgata, quæ ibi docet autor

ille

ille pius & doctus. Et quia libellus ille iam ferè non extat, & ad manum rarò copia illius occurrit, accipe quæ ille pro immunitate Vulgatæ tam glorioſè elaborauit.

PROLOGVS APOlogeticus pro veteri & Eccleſiaſtica Noui Teſtamenti Latina interpretatione.

NOtus olim in Iudęa, & ea penè ſola Deus omnipotens, cùm ſub fœda idolatria cęterę omnes populorũ nationes, in miſeranda degerent cæcitate, populo Hebræorũ (quem ſibi in peculiarem populum adoptauerat) pro magno dedit beneficio Legis ſacrę ſanctã ſcripturam: quam pro populi electione, Hebræis voluit Hebraico eſſe ſermone conſcriptam. Huic adiunctæ ſunt procedente tempore, in poſterorum commonitionem, ſacræ Hiſtoriæ: deinde & Prophetarum digna Oracula: omnia

omnia quidem Hebraico tãtùm ſermone cõ ſcripta. Poſtea verò quàm decurrentibus ſeculis cœpit appropinquare plenitudo temporis, quo miſſa de Patris ſinu veritas orbi erat vniuerſo manifeſtanda, neque iam Iudæis ſolis, ſed omnibus etiam nationum populis, iuxta Prophetarum vaticinia reuelanda, diuina prouidentia (quod ego quidem non dubito) factum eſt, vt ad Regis Ptolomæi, qui Philadelphus cognominatus fuit, religioſam poſtulationem, ea quæ Hebraico ſermone Hebręorum populo fuerant tradita, gentibus iam in Græcum conuerſa ſermonem, fierent communia: & quæ priùs apud Hebræos latitauerant, eiſque ſolis proficere poterant, facta in Græcum ſermonem conuerſione, populo Gentilium iam fieri inciperent manifeſta. Hoc nimirum agẽte Spiritu ſancto vt qui ad vnius Dei notitiam & fidei veritatem iam iam eſſent conuocandi, communemq; eſſent cum Iudæis paulò poſt accepturi à Chriſto ſalutem, ſcripturarum quoque, quę de illa prętеſtificatæ ſunt, qualecũque acciperent velut prępаramentum. At verò vbi iam venit plenitu-

nitudo temporis, qua tantis expectata ſeculis, tandem apparuit veritas, & prædicatio cœpit Euangelica, primùm quidem per Chriſtum in Iudęa, deinde & in populos nationum per Apoſtolos longè latèque diſſeminari, iuſto Dei iudicio eiuſq; diſpoſitione prouida factum eſt (iuxta hac de re multò antè prędicta Prophetarum oracula) vt qui priùs in caput fuerat & in adoptionis honore, velut peculium domini, Hebręorum populus, ordine penitus conuerſo fieret in caudam & in opprobrium propter incredulitatem & cordis obſtinationem, ſuę (vt ita dicam) primitatis honore meritò ſpoliatus & dignè priuatus. Iudæis ſiquidem in ſua incredulitate maxima ex parte perdurantibus, ſalutiſque verbum repellentibus, contrà verò Gentium populis gaudenter illud ſuſcipientibus, & fidei iugo ſe libentiſsimo animo ſubmittentibus, hac in re ita ordo conuerſus eſt, vt iam propè fierent Gentium populi qui priùs erant longè & velut in ſalute primi, qui ſine Deo olim viuentes in hoc mundo, ab ea erant prorſus alieni. Et planè

nè impletum eſt quod à Saluatore dicitur in Euangelio. Erunt nouiſsimi primi, & primi nouiſsimi. Vnde quemadmodum vetus illud Synagogæ ædificium, ex Hebræorum potiſsimũ conſtabat natione, ſic noua Eccleſia (his quidem in ſtructura veteri permanere volentibus) ex alijs potiſsimùm lapidibus conſtrui cœpit, id eſt, gẽtium populis: qui per fidem ad lapidem illum viuum & ſummangularem, eundemque in fundamento locatum Chriſtum dominum accedentes, coædificati ſunt in habitaculum Dei, in templum ſanctum domino in Spiritu ſancto. Hanc ob cauſam, Dei prouidentia, quemadmodum priùs illud vetus teſtamentum veteri Hebræorum Synagogę Hebraico ſermone tradiderat, ita nouę, ex gẽtibus potiſsimũ ędificandę Eccleſię, Greco idiomate (quod in gentibus ad Chriſti fidem conuerſis cęteris latius erat atque vulgatius) nouum voluit condere Teſtamentum, tantò vtique priori illo ſublimius atque præſtãtius, quantò antecellit ſanguinem hircorum atque vitulorum (cuius aſperſione per Moyſen illud fuerat dedicatum) ſanguis Chriſti, agni

E imma-

immaculati, veri, ac viui filij Dei: in quo nouũ hoc & confirmatum est, & ita obsignatum, vt in consummationẽ vsque seculi neque mutari possit, neque infringi. Ita sanè dum prouidam Dei dispensationem aduertimus, facilè videmus, quemadmodum cum fidei rectitudine, connexa semper fuerit scripturę veritas, & cum illa hęc velut demigrare sit solita. Donec enim apud solos Iudęos firmitas perstaret rectę fidei, apud eos quoque solos scripturarum veritatem attendimus latitasse. Quando verò ad veritatem cœperunt, appropinquante lucis tempore aspirare etiam gentium populi, participes facti sunt magna ex parte Hebraicarũ scripturarum, vt ad eã, quæ ipsis ventura erat, Christianæ fidei veritatẽ, aliqua ex parte eorũ animi pararentur, suo tempore amplectendã: tametsi pro sua qualitate atque imperfectione multis obtectis & velut obuolutis, nonnullis quoq; quę ad secretiora fidei mysteria pertinebãt suppressis, nõ ita apertè omnia accepissent veritatis sacramẽta: ne in scãdalũ & destructionẽ magis quã ad ędificationẽ eis fierẽt, quæ illorũ adhuc malè instructa ruditas capere ne-

quiuissent. Postea verò quàm veritas propalata, & à Iudæis repulsa, ab eisdem gẽtibus gaudenter suscepta est, digni habiti sunt, qui proprio suo idiomate, (id est tali, quod vulgatissimũ erat inter eos qui ex gẽtibus crediderãt & latissimè cognitũ) eximiam illam noui Testamenti & longè præcellentissimam scripturam acciperent, in stabilimentum & firmitatem Salutaris fidei, cui per Apostolicam prædicationem fuerãt initiati: quiq; non iam vltrà vel tectè vel inuolutè, sed palàm & apertè omnia fidei susciperent mysteria: imo clariùs etiam & apertiùs, quàm vetus ille Hebræorũ populus suo patrio idiomate acceperat. Proinde & illud mihi quidem Spiritus sancti bonitate ac prouidentia existimare iustum videtur ac rationabile, postea quàm ad Latinos potissimùm deuolui cœpit fidei veritas, græcis maxima ex parte, vel ob innatam leuitatem, ad vanitates patrias conuersis, vel ob contentionis studium schismatibus varijs ab Ecclesiastica vnitate diuisis: vt simile quoque cura Latinis etiam dignam aliquam scripturæ stabilitatem

concesserit. Neque mihi verisimile illud fieri potest, Latinam Ecclesiam, apud quam potissimùm tantis iam annorum centenarijs stabilitas fuit Christianæ fidei, nullã hactenùs scripturam noui Testamenti Latinam habuisse rectam ac bonam, cui in suis constabiliẽdis dogmatibus tutò possit ac securè inniti, quaque aduersarios fundatissimæ suæ fidei condigna possit autoritate reuincere. Vnde veterem illam Ecclesiasticam noui Testamenti editionem, qua ab annis supra mille, plùs minùs ducentis, Latina vtitur Ecclesia, mihi persuasum habeo, non nisi diuina prouidentia & ex Dei munere Ecclesiæ Latinę in suę veritatis fundamentum atque vnitatis stabilimẽtum, benignè donatam: qua ad suorum dogmatũ astruendam veritatem, & hęreticorum retundendas insanias, fidenter atque securè vti possit. Quam proinde miror, quemadmodum nostra hac tempestate nouarum rerum, curiosi non pauci sectatores, ita vili, ita floccì, imo ita nihili pendant, vt eam velut prorsus indignam Latinis, etiam explodendam atque exsibilandam existiment, ac tantùm non pedibus

conculcandam. Quibus vehementer metuendũ est, ne se & Dei muneribus hac ratione ingratos, & eius benignissimæ prouidissimæq; dispositioni cõprobent cõtradictores: vt pote qui ea quæ ille in magnũ beneficium dedit Ecclesiæ sanctæ, quæ apud Latinos multis iam anteactis seculis potissimũ stetit, exsibilẽt ore, explodãt manibus, calcibus repellant, denique pedibus etiã conculcent. Et id quidem ab annis aliquot fieri cœptũ est, non ab eruditis modò & linguarũ peritis, verùm & ab alijs, qui omnis bonæ disciplinæ prorsus rudes & ignari, vix tenuem habent vel græcę, vel etiam Latinę literaturæ peritiam: insequentibus nimirum istis pręstantiorum quorundã exempla, à quibus huius malitractũ videtur seminariũ. Fit enim nescio quomodo, credo autẽ praua mortalium generi insita vanitate, & curiosa semper instabilitate, vt nouitatibus semper gaudeãt homines, & aduersus ea, quę patribus fuerãt probata, dũ loquentes audiunt duces, mira facilitate in sequelam atque consensum pertrahi se patiantur leues hominum animi. Id mihi adeò hac in re vsu venisse videtur. Si-

quidem ante annos aliquot viri in re literaria glorioſæ exiſtimationis atque etiã in re Theologica opinionis non minimæ, Laurentius Vallẽſis, Iacobus Faber Stapulẽſis, Deſyderius Eraſmus Roterodamus (quorũ primũ iã olim vita defunctum, beata apud Deum pace requieſcere, poſteriores nobiſcum adhuc dum hæc ſcribimus ſuperſtites, ad eandẽ precamur Dei gratia dignè præparari) in vulgatam Latinorum editionẽ, veteremque & Eccleſiaſticã noui Teſtamenti verſionem, tentauerunt annotationes, examinationeſq; cõſcribere, in quibus plurima veteris illius verſionis viſi ſunt, taxare, arguere, reprehendere: & nõ ea quæ ad verba ſolùm, verum etiam quę ad ſententiam prorſus faciebant pluribus in locis contra veterem cõſuetudinẽ immutare: ſuper hæc & calore quodã immoderati feruoris euecti, nõ paucis in locis veterẽ illã interpretationẽ, eiusq; Interpretem, ſalibus aſpergere, & vt planè dicã, irridere. Ex quibus poſteriores duo, Iacobus Stapulẽſis, atq; Eraſmus Roterodamus, nouã inſuper tentauerũt de Græco fonte verſionem facere, quam hic quidem in nouum Teſtamentum

omne, ille in Paulinas tantum perfecit Epiſtolas: hic noui Teſtamenti editionem ſiue verſionem, ille intelligentiam Epiſtolarum Pauli nuncupauit. Hinc verò illud apud imperitos, & expers iudicij literatorum vulgus, erga Eccleſiaſticam interpretationem odium & planè contemptum exorta fuiſſe, ſatis eſt euidẽs, dum eam, quam à tantis viris coargui, reprehendi, taxari, atque pro libito immutari videbant, nulla dignam exiſtimatione iudicarent, ſed contemnendam potius cenſerent & prorſus negligendam. Et de horum quidem laboribus, quos nouis verſionibus impenderunt, quatenus conducant, valeantque piè vtentibus eſſe proficui, poſterius dicturi, de annotationibus hiſce & examinationibus illud ingenuè (quod eſt veritatis) profitemur, ineſſe nimirum illis nonnulla, atque ea rurſum non pauca, & lectu & ſcitu digna, è quibus lector diligens & attentus non parum poſſit erudiri, & ad pleniorem ſcripturarum intelligentiam adiuuari. Sed offendit non minùs pios animos, quæ in eis frequens admodum lucet libertas nimia, & propemodum fæuit non probanda

licentia, qua in Veterem illam & Eccleſiaſticam interpretationem, per omnes Latinorũ Eccleſias receptiſsimam, & à plurimis annorum centenarijs ſic longo vſu nõ parum probatam, pluribus in locis neq; ſatis cum reuerentia, neq; ſatis cum decoro conſpiciuntur inuehere: idq; non rarò, & præter ius omne, & cõtra omnẽ omnino rationẽ: id quod ſubſequuturis noſtris collationibus (Domino donante) credimus nõ vno in loco monſtrandũ. Neq; tamen illud nos iudicamus in Veteris interpretationis ſuggillationem ita eos feciſſe, quaſi à propoſito hoc ipſi intenderint, vt Eccleſiaſticam Latinam noui Teſtamenti editionem ab Eccleſijs abigerent, ſiue vt ſuas editiones in Eccleſiarum publicũ vſum introducerent; cum ſcriptis, quantùm quidẽ ad prooemia pertinet, contrarium videantur aſſerere. Illud tamen nemo negabit qui horum examinationes atq; annotationes legerit, veteris Interpretis fidem plurimùm illis imminutam eſſe & labefactatam, neq; vno modo eleuatã autoritatẽ. Tametſi enim in operũ ſuorũ prooemijs fateãtur, illã ſe ſeruaturos, ſe atq; relictu-

ros

ros editionem Veterem, ſicque ſua noua prolaturos in medium, vt nolint ex eis damnari vetera: qui tamen annotationum proceſſum inſpexerint, videbunt, niſi planè oculis careãt, quàm id rectè quod polliciti ſunt, obſeruent. Quid enim? Dũ veterem Interpretem barbariſimis ac ſoloeciſmis plurimis, ijsq; vt plurimùm falſò cõfictis paſsim onerant, dum Paulinæ ſententiæ ſubuerſorẽ non rarò nominãt, dum nunc hallucinãtem, nunc oſcitabundũ, nunc dormitantem, nũc ſupina merſum ignorantia, nunc falſum incuria, nunc inſcitia deceptum, nunc laſciuientem, nunc puerorum more copiam affectantem, & quicquid volunt eius generis audactèr aſſeuerare non formidant, interpretationis non labefactatur autoritas? non fides imminuitur? Vetus editio non damnatur? Seruatur illæſa? Tergiuerſatione nihil eſt opus, imo tergiuerſationis hac in re nullus eſt vſus. Neq; enim quicũq; libros legũt, iudicio carent: & ſunt etiam nũ lectores plurimi, quibus ſola nõ ſatisfaciũt verba. Quã tò verò diuus Hieronymus vir modeſtus & Deo plenus, qui linguarũ peritia, iudicij graui

tate,ſolidiſsima ſcripturarum intelligẽtia,Ec cleſiaſticorum dogmatum exactiſsima indagatione, fidei indefeſſa propugnatione, ſummam ſibi in omnia ſecula cõciliauit (Spiritu ſancto hęc omnia per hominẽ agentẽ)autoritatem:quantò(inquam)vir ille modeſtiùsagebat cũ ſeptuaginta interpretibus?non contentionibus deſeruiens,aut muliebribus rixis,nõ illos inuidioſè æmulãs,nõ illorũ locum ſuper bis iniurijs ambiẽs,ſed quia videbat nõ iuxta literam,hebraicã veritatem redditam, ſed nouam potius ſcripturam aliquam in plurimis poſitam ab illis,quæ nullo modo in hebraicis poterat reperiri,& veluti adhuc opus reſtare in vertenda litera,intellexit (haud dubiũ quin Spiritu ſancto inſpirãte) hoc operis ſibi ſeruatũ eſſe.Proinde nullis pepercit laboribus,nullis vigilijs nullis orationibus,nec corpori, nec animo dãs requiẽ,donec impleret miniſteriũ, quod ſibiSpiritus ſanctus iniũxerat.Non hoc agens, vt interpretationem ſeptuaginta ſenum illorum, loco ſuo pelleret,aut deſpoliãtam autoritate proijceret:quoniam ſuggerente agnouit Spiritu, & illos à Deo interpretationis,

tionis,imo pluſquàm interpretationis donum accepiſſe. Sed ſine inuidia illis ſuam autoritatem concedens,ſuum miniſterium, quantùm potuit,congruis admonitionibus honorificauit,hominum fidelium ſtudijs benignè communicans,quæ ſibi erãt à Deo donata:ſic ſua laudans lectoribuſque cõmendans,vt non calumniaretur aliena.Et quanquam videtur nõ paucis in locis ſeptuaginta interpretationem arguere,nihil tamẽ aliud agit, quàm vt demõſtret,tranſlatione illa,non literam hebraicam perfectè reddi,ſenſumque potiùs quàm literã ſecutos,& velut commentarios quoſdam potius , aut noua in plurimis texuiſſe oracula, quàm id quod in hebræo erat,reddidiſſe. Nõ tam ſeptuaginta inſequens,quàm eos, qui his contenti,propterea quod exiſtimarent hebraicam veritatem plenè redditam, ſuum laborẽ iudicarent nõ probandum, vt quem exiſtimabant acta agere.Hac verò tam inſigni modeſtia,iure optimo meruit, vt paulò pòſt ab vniuerſis Eccleſijs ſuſciperentur, quæ in Veteris inſtrumẽti libris elaborarat,publicèq;,vſq; in diẽ hũc,& legerentur in templis, & citarẽtur

ad

ad teſtimonium in diſſertationibus. Et dũ hęc ageret Eccleſia, vt Hieronymum introduceret, nõ ſunt exiſtimãdi patres Spiritui ſancto repugnaſſe, aut vetus donum Dei tanquam faſtidio reſpuiſſe, ſed meliorem ſibi à Deo donatũ Interpretem, (nimirum qui omnia iam cõplera viderat, quæ illi expectatione tantùm ſperabant, quique hoc agebat apud fideles Chriſtianos, quod illi apud curioſos Gręcos, quibus nõ erant adhuc omnia iuxta literã pandenda) cũ gratiarum actione ſuſceperunt: ſuam tamen autoritatẽ illi relinquẽtes interpretationi, quã & Apoſtoli frequenti vſu confirmarunt, & tẽporis longitudo iam probauerat. Quòd ſi mihi veterum faſtidioſus aliquis nauſeator, nouorum curioſus ſectator obijciat, Quidni, etiam nunc benignè acceptantur ab Eccleſia quæ Spiritus largitur meliora & veriora & elegantiora, & Gręcis viciniora? Is tale à nobis reſpõſum accipiat. Profer nobis obſecró hęc meliora, veriora, elegantiora, Gręcis viciniora: & ſpero futurum, vt Eccleſia antiquato vetere Interprete, nouum illum aſſumat, quisquis tandem hęc præſtiterit. Quod ſi non poteris,

 tene

tene vetera, ſerua probata, perſeuera in vijs patrum tuorum: neque committas, vt tanto iam temporum curſu comprobata, inſtabili tua leuitate ſic ſine iudicio nouitatibus alienis commutes. De alijs, magna ſentiant alij, noua magis probent, eaque ſectentur libentiùs: Eccleſiaſticam interpretationem & veterem Interpretem pro ſuo libito ipſi nominent, tractent, & irrideant. Ego ſanè ſecundum gratiam, quã mihi dedit altiſſimus, ſic iudico, ſic in vero iudicio cordis ſentio, ita quoque in diuina benignitate & Sancti ſpiritus prouidentia confiſus, fidenter pronuncio: virum illum, quem nobis Deus pijſsimus deſignauit deſtinauitque Interpretem eorum, quę fuerant peregrino idiomate alijs Eccleſijs ab Euangeliſtis deſcripta, ſuper ineffabilibus verbi incarnatimyſterijs: illum (inquam) virum ſic habeo, ſic colo, & ſic veneror, vt Hieronymo, vel ſuperiorem, ſecũdum meum iudiciũ, vel parẽ, propterea quòd hoc plurimorũ auribus ſit tolerabili?, certè nulla ratione inferiorẽ. Nec enim dubito, ſi aliam aliquam editionem Hieronymus edidiſſet, noſtra probatiorem

noui teſtamenti, quin eadem facilitate Eccleſia ſancta, magis probata maluiſſet amplecti. Facilè quoque impetraſſet Hieronymi autoritas, vt vni præponeretur Interpreti, aut infelici, aut miſerando, nec ab Apoſtolis autoritate confirmato, nec multa adhuc ſecula habenti, quæ vna ſeptuaginta viros illos ſegregatos ex omni populo electorum Dei, per multa tempora etiam ante natum Chriſtum autoritate irrefragabiles, Apoſtolorum quoque frequenti nimis vſu roboratos, ſibi fecit cedere, communi vniuerſalis Eccleſiæ & omniũ ſpiritualium cõuentuum vnanimi conſenſu. Quis verò credat, ſi Hieronymus infelicem iudicaſſet & Spiritu ſancto indignã hanc Veterem interpretationem, quę tum erat in manibus, quin eadem cura, qua Moſaicas obſeruantias, & Iſraelitica prælia, & Prophetarum oracula ſtuduit plena reddere, etiam hoc curaſſet, vt nobis ſanctum Euangelium, ſanctasque Apoſtolorum literas quibus amplius debitor extitit, integra redderet, & bona fide, bonaque autoritate digna? Nec eſt quod reſpondeas, & hoc quidem egiſſe Hieronymum, ſed obſtitiſſe æmulos, quos habuit plurimos, quò minùs in vſum veniret Eccleſiæ. Si enim nihil oſtantibus æmulis receptus eſt in veteris inſtrumenti libris, nihil etiam obeſſe potuiſſent æmuli, quò minus & in nouo teſtamento ſuſciperetur eius tranſlatio: ſi modo aliquam edidiſſet Eccleſiæ iudicio probatiorẽ. Itaq; aut edidit Hieronymus quod nõ recepit Eccleſia, aut nõ edidit quod recipi potuiſſet. Vtrũ libet elegeris, in gloriam cedit noſtri Interpretis. Quoniã ſi edidit, quod nõ recepit Eccleſia, indiciũ eſt operis nõ multò præſtãtioris: ſi verò (quod potius credẽdum eſt) nihil edidit nouũ, ſciens hoc operis cõpletum eſſe, vide, quã ſolidè ſit cõprobata noſtra Vetus editio, quã tãtus ille diſſimulauit corrigere noua ſua editione. Profectò nuirũ videtur Hieronymianos prologos remanſiſſe, quos Euãgelijs & Apoſtolorũ præmiſit Epiſtolis, ipſo opere pereunte. Nõ eſt ſimile vero, pluris eſtimari potuiſſe à ſtudioſiſsimis pręteritorũ ſeculorum viris paruula operis præludia, quã ipſummet tam egregium, tamque tanti operis corpus. Quoniã verò noſtro negotio nõ parum

rum iſta conducunt, operæ pretium nobis videtur profundius aliquanto & diligentius (quantum res patietur) ea perueſtigare atque diſcutere. Sunt enim qui Vulgatę iſtius editionis beatũ Hieronymum exiſtimant primarium autorẽ: quemadmodum eorum indubié eſt librorũ, quos ex fonte hebræo nobis latinè donauit. Sũt ex aduerſo alij, qui in hac editione nihil putant Hieronymianum ineſſe, neque vel eius correctionem atque emendationem Hieronymo tribui patiantur. Sed ſi quã ipſe aliquando correxit, aliam eſſe dicunt ab ea, qua vulgo vtitur Latina Eccleſia: quam ſiue latitare adhuc, ſiue prorſus autumant intercidiſſe. Harum verò partium neutri accedentes, mediam ipſam veritatis ſententiam monſtrare tentabimus. Ea eſt, vt Vulgatam hanc editionem Latinam, fateantur multò ante Hieronymi tempora præfuiſſe, ſecundum gratiam Dei, ab inſigni aliquo (cuiusmodi Eccleſiæ naſcentis primordia habuerunt non paucos) Deo quidem cognito, nobis verò poſteris nomine incognito editam: id quod ex antiquiſsimorum ſcriptis ſatis eſſe poteſt manifeſtum, ijs qui illa legerint:

rint: Hieronymum tamen iuſſu Damaſi Papæ locis aliquot, quę vel temporum lapſu, vel notariorum indiligentia, vel exemplarium & tranſlationum confuſione, ſeu diuerſarũ editionum quæ tum minus probatæ, plurimæ adhuc vulgabantur, depraua ta aut male immutata videri poterant, ad rectitudinem reſtituendo emendaſſe, ſicque priſtino nitori & dignitati opus ipſum reſtituiſſe. In qua etiam emendatione atq; correctione, verisimile eſt illũ prologos iſtos, qui vſq; hodie nobis remãſerunt, præmiſiſſe. Quam veritatem ex eo facile fuerit demonſtrare, quòd penè omnia quæ ſenſus immutabant veritatem, in Commentarijs taxata, quæ in Vulgata editione Latina male poſita, inueniũtur in noſtra editione ſic haberi, vt ea correxit Hieronymus, non ſicut ipſe aſſerit in vulgatis Latinorum exemplaribus legi ſolitum. Quæ verò nihil ſenſus veritatem immutabant, ita in publica lectione reliquit, vt fuerant, nonnulla etiam ex eis, quę in priuatis Commentarijs viſus fuerat modo quodam vellicare: quæ ob hoc ita immutata reliquit vt fuerant, quòd ad ſenſus muta-

tionem nihil facerent. Sic enim ipſe in Epiſt. ad Damaſum, quæ Euangelijs vulgò præmitti ſolet, atteſtatur dicens, In hac emendatione ita ſe calamo imperaſſe, vt ijs tantùm, quę ſenſum videbantur immutare, correctis, reliqua manére pateretur vt fuerant; cauens ne multum à Latinę lectionis conſuetudine diſcrepa rent. Hęc autem pluribus ágere, & perſingula loca diſcutere, non eſt præſentis temporis. Suf ficiunt ex Epiſtola ad Gala. duo nobis prolata teſtimonia. Primum erit ex cap. 2. vbi Hieronymus dicit Latinè exẽplaria habuiſſe, Quibus ad horã ceſsimus ſubiectioni, ſine negatione. Ipſe verò legẽdum magis vult negatiuè, Quibus neq; ad horam ceſsimus: & ſic nunc in Latinis exemplaribus, noſtra habet editio. Item quinto capite, ſolitum erat legi, Perſuaſio hęc eſt ex Deo, qui vocauit vos: quem ſenſum arguens, dicit Latinam literam corruptam eſſe per inſcitiam, & legi debere, Perſuaſio hæc nõ eſt ex eo qui vocat vos: & ſic nunc omnes Latini codices habent. His verò ſuperaddamus & aliud triplex vno ex loco teſtimonium, idq; ex Epiſtola quadam ad Marcellam cuius initium

tiũ, Poſt priorẽ Epiſt. vbi cõtra laborũ ſuorũ obtrectatores atq; calumniatores improbos, quibus nunquã pij caruêre labores, per exceſſum quẽdam ita loquitur, Reuertimur ad noſtros bipedes aſellos, & illorum aure buccina magis quam cithara concrepamus. Illi legant, ſpe gaudentes, temporibus ſeruientes: nos legamus, domino ſeruientes. Illi, aduerſus presbyterum accuſationem omnino non pũtent recipiendam. Nos legamus, Aduerſus presbyterũ accuſationẽ noli recipere, niſi ſub duobus vel tribus teſtibus: peccantes autem cora omnibus argue. Illis placeat, Humanus ſermo & omni acceptione dignus: nos cum Græcis, id eſt, cum Apoſtolo qui Græcè locutus eſt terrenus, Fidelis ſermo & omni acceptiõe dignus. Hactenus ſacer Hieronymus. In quibus verbis illud nobis manifeſtiſsimè monſtratur, Latinorum exẽplaria his tribus in locis aliter habere ſolita quàm nunc habeant: primo quidem loco, Temporiſeruientes: ſecundo, Aduerſus presbyterum accuſationem noli recipere, abſque addito: tertio, Humanus ſermo. At verò in omnibus Vulgatæ editionis exem

plaribus, nuſquam ita inueniemus, quomodo ipſe dicit haberi ſolitum, ſed per omnia vt ipſe legendum exiſtimat. Rurſum libro primo contra Iouinianum indicat in capit. 7. prioris Epiſtolæ ad Corinth. ita in Latinis codicibus legi ſolitum, Qui cũ vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mũdi, quomodo placeat Deo. Diuiſa eſt mulier & virgo. Innupta cogitat quæ domini ſunt, &c. Iuxta huius, inquam, diſtinctionis modum legi dicit in Latinis codicibus. Ipſe verò ſecundum veritatem Apoſtolicam legendum vult ſub hac diſtinctione, Qui cum vxore eſt ſollicitus eſt quę ſunt mundi, quomodo placeat vxori & diuiſus eſt. Ac deinde, Mulier innupta & virgo cogitat quæ domini ſunt, &c. atque ita nunc Vulgatæ editionis Latini codices omnes habent. Item in eodẽ lib. quod ab Apoſtolo in Græcis ſubiungitur & ipſe ita transferri poſſe putat. Hoc autem ad vtilitatẽ veſtram dico, non vt laqueum vobis injciã, ſed vt adid quod honeſtum eſt & intentè facit ſeruire Deo, abſq; vlla diſtractione vos adhorter, ipſe ait in Latinis codicibus ob tranſlationis difficultatem omnino non haberi. Noſtra verò

verò Vulgatæ editionis exẽplaria nulla ſunt, in quibus hæc deſit ſententia. Hæc igitur, atq; his ſimilia, quia ſenſus veritatẽ offendebant, ipſe correctione emendanda cenſuit. Quæ autem minutila annotauerat, nõ illi dignum viſum fuit immutare. Exempli gratia; Dicit, Latinum Interpretem male dixiſſe, Modicũ fermentum totam maſſam corrumpit, ſed dicere debuiſſe, totam cõſperſionem fermẽtat. Itẽ 4. ca. Quoniam cõfundor in vobis; ipſe in Cõmentarijs notat, Græcè melius dici, Quia indigeo in vobis, quaſi fructum nõ recipiens quem deberem. Et 5. ca. Euacuati eſtis à Chriſto, malè dicit redditum Latinè: potius dici debere à Chriſti opere ceſſaſtis: ſicut & eodem ca. Euacuatum eſt ſcandalum crucis. Et tamen quia in his omnibus nõ eſt ſenſus aliqua diuerſitas, ideo reliquit intacta, & ſic nobis permanent. Neq; vllo pacto mouere quemquam, hæc debent, vt ob hoc credat non eſſe ab Hieronymo emendatos noſtros codices, quia iſta minutila nõ emendauit, quæ tamen carpere videtur in Commentarijs. Ipſe nobis apertum teſtimonium perhibet, quòd ea quæ ſenſum nihil im-

mutabant, reliquerit vt fuerant. Quòd si quæ forsitan occurrant, in quibus etiã sensus nonnulla videtur esse diuersitas, credimus veriori bus postmodùm exemplaribus & vetustioribus & emendatioribus, ad quorum veritatem Latinos correxit vulgatos, edoctum, sic dimisisse, vt comperiebat in eis haberi. Ponamus, exempli gratia, locum vnum, aut alterũ. Lib. Commẽtariorum in Epistolam ad Gal. 1. in explanatione capitis tertij, legendum tantùm putat, O insensati Galatæ, quis vos fascinauit? nihil adijciendo: cùm nos habeamus adiectum, Non obedire veritati. Dicit autem hoc se omisisse, quia in Adamantij, hoc est, Origenis non inueniisset exemplaribus. Iterum lib. tertio Commentariorum, in explanatione capitis quinti, enumerans vitia carnis, in illo vitiorum catalogo, asserit non haberi adulterium, impudicitiam, & homicidium, neque ipse sigillatim explicans singula, vllum illorum attigit, quæ tamen in Latinis codicibus scripta testatur. Forsitan autem veriora postmodùm consulens exemplaria, aut plura simul conferens, inuenit in nonnullis

lis ista haberi. Vnde & in Græcis codicibus qui nunc sunt in manibus, hæc ipsa reperimus haberi, quæ ille non ponenda dixerat: priore quidem loco, Quis vos fascinauit non obedire veritati ... ti alithia mi pitheisthai: posteriori verò loco, vbi non nisi quindecim asserit carnis opera nominari, manifestè septendecim numeramus: & tria illa nempè ..., ..., ... mæchiam, aselgian, phonon, hoc est, adulterium, impudicitiam, & homicidium, expressè in Græcis posita conspicimus. Satis enim probabile est, & omnino verisimile, Commentarios istos in minores aliquot Paulinas Epistolas, multò antè edidisse Hieronymum, quàm Nouum Testamentum iussu Damasi Papæ correxisset: & forsitan vtebatur tum Græcis exemplaribus vulgatioribus. Sed post, rogatu Damasi paranit correctionem toto orbi diuulgãdam; ná haud dubiè veteranus miles factus in Dei palæstra, credẽdus est maiori sollicitudine, pro negotij magnitudine & grauitate, ad pluriũ & emendatissimorũ Græcorũ atq; Latinorũ codicũ fidẽ, summa diligẽtia cũcta

expendiſſe loca, in quibus exemplaria conſpiciebat variare. Vnde fieri potuit vt in quibuſdam iam conſentiret Latinorum veritati, in quibus olim putabat correctionem faciendã. Neq; verò id vel mirũ, vel incredibile cuiquã videri debet, quandoquidem idem ipſe Hieronymus apertum ſuper hac re de ſe ipſo perhibet teſtimonium, aduerſus Iouinianum lib. 1. vbi eum locum quem ſupra citauimus ex ca. 7. prioris Epiſt. ad Cor. iuxta eam diſtinctionem, quæ modo eſt in Vulgata noſtra editione adducit, Qui cum vxore eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. Mulier innupta & virgo, &c. Atq; hãc lectionem affirmat eſſe Apoſtolicæ veritatis: cum tamẽ prius, alijs aliquot locis, locum iſtũ ſub alia diſtinctione, quæ tũ erat in vulgatioribus Græcis atque Latinis legiſſet, atque etiã fuiſſet interpretatus. Sed præſtat ipſius verba adſcribere. Nunc illud (inquit) breuiter admoneo, in Latinis codicibus hunc locum ita legi, Diuiſa eſt virgo & mulier. Quod quanquam habeat ſuum ſenſum & à me quoq; pro qualitate loci ſic editum ſit, tamen nõ eſt Apoſtolicæ

ſtolicæ veritatis. Si quidem Apoſtolus ita ſcripſit vt ſupra tranſtulimus, Sollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt: & hac ſententia definita tranſgreditur ad virgines & continentes. Et ait, Mulier innupta & virgo cogitat quę domini ſunt, &c. Exponit autem ſecundum hanc lectionem illud, Diuiſus eſt, vt idem ſit quòd in multas miſeriarum ſollicitudinumque partes diſtractus. Ex quibus manifeſtum eſt, beatum Hieronymum poſteriùs aliquando aliter legiſſe quàm priùs legerat, & priorem lectionem poſteriorem nonnunquam correxiſſe. Cum enim iuxta priorem diſtinctionem legeret & exponeret, Diuiſa eſt mulier & virgo, vulgatiora quæ tunc erant ſecutus videtur exemplaria. Poſteriùs autem, verioribus & probatioribus conſultis atque perſpectis exemplaribus, ita legiſſe creditur & legendum pronunciaſſe, vt vetus modò habet atque Vulgata editio. Quod igitur hoc in loco citra cõtrouerſiam factum cogimur fateri, id non mirum videri debet, ſi dicamus & alijs aliquot locis ita eueniſſe, idque potiſſimum in Noui Teſtamenti illa

recognitione, in qua non dubium est, & summam illi diligentiam, & emendatissimos atque vetustissimos vtriusq; linguæ codices nō defuisse. Nunquam verò Hieronymus Interpretem veterem tanquam indoctum & rudem, vel indignum fide, aut oscitabundū, aut dormitantem arguit, aut irridet, aut vellicat: etiamquam id prima facie videtur ei qui non nouit aut attendere nolit Rhetorum loquendi consuetudinem, qua solent dicendi quodā acumine, in suis astruendis aliena velut deprimere: cum tamen id non intendant, sed sua tantum dicta magis astruere: quemadmodum & de Septuaginta interpretibus, illum multis fecisse locis facilè cognoscet, quisquis illius in Prophetas Commentarios diligenter legerit. Quos cum vsque adeò, secundum loquendi modum, & excessum quendam persequi nonnunquam videatur, vt eorum versionem etiam mendacium alicubi nominet, alibi nō intellecta ambiguis dicat reddidisse sermonibus, nullo tamen modo editionis illorum se patitur aut haberi, aut dici reprehensorem: id quod cùm plurimis diuersorum Veteris Testa-

Testamenti librorum præfationibus, tum apertissimè in Apologia cōtra Ruffinum demonstrat. Quoties autem in vocula aliqua aut oratione videtur taxare Interpretem Latinum, & editionem Vulgatam, vel inde est, quòd ipse alio vteretur Græco exemplari, quàm Latinus vsus fuerat Interpres; vel, vt secundo addito vocabulo, plenius exprimeret Græcę dictionis emphasim, aut etiam vt altero sensu reddito, Græcam ambiguitatem manifestam faceret. Plerumque enim (vt ipsemet fatetur in Commentarijs Epistolæ ad Ephes.) propter paupertatem & inopiam Latini sermonis, vna voce non potuit tota significatio Græcę dictionis explicari. Quæ nunc dicimus, idcircò exemplis non communimus, quoniam locus hic non patitur: & (dōnante Deo) in animo nobis est, si quando ad eum locum peruenire contingat, singillatim singulis respondere suo loco per Hieronymum annotatis, quæ conqui videntur facere contra Interpretis nostri veteris autoritatem: id quod factu non admodum fuerit difficile. Atque hæc quidem hactenus sit de loco,

ſinos dignabitur altiſsimus & vita & ſapientia: à quo vno ſunt omnia, & in cuius manu ſunt omnia noſtra conſilia. Omnino enim volumus & Hieronymo ſuam manere gloriã, nihilo tamen minus & Veteri illi Interpreti, quem tanta affecit ille reuerentia: cui tam multum tribuit fidei, vt indignum duceret innouare quod ipſe ſemel perfecerat. Magnũ profectò teſtimonium, & omni attentione dignũ. Illud verò non multò minus, quòd idem ipſe grauiſsimi iudicij Hieronymus, in vertendis Origenis Adamantij Commentarijs, quos in Epiſtolam ad Rom. edidit, fermè per omnia ijſdem vtitur dictionibus atque orationibus in interpretando Origenis Commentario, quibus ille in Pauli conuertenda in Latinum ſermonem Epiſtola. Quam rem quiſquis rectè expẽderit, inueniet nõ parũ inde Veteri interpretationi autoritatis accedere: & vel hoc ſolo, quantum ad autoritatẽ pertinet, ſatis confundi eos, qui tam leui, imo nulla cauſa paſsim à veteris quærunt interpretationis oratione recedere. Adde, quòd ea quæ in Epiſtola ad Rom. in Interprete Pauli ar-

arguunt indoerni correctores, plurima eadẽ ipſa ſic poſita conſpiciuntur ab Hieronymo, in vertẽdis Origenis Commentarijs, quo modo poſita ſunt ab Interprete Pauli. Et tamen quis dubitat, illum in hac verſione liberũ fuiſſe? Nam citra inuidiam, citra periculum, citra calumniam potuiſſet pro ſuo libito priuatos illos Commentarios transferre, atque ab Interpretis veteris dictione diſcedere. Nec enim nos de textu qui interijcitur nunc loquimur, ſed de ipſo Commentariorum contextu. Plurima ergo quæ reprehenduntur in Interprete Pauli, in ipſum quoque Hieronymũ recidunt, qui in eadem culpa deprehenditur. Certè cum tali duce, imo cũ tali aſſecla coargui, mihi videtur ad honorificentiam eius nõ modicam pertinere. Quiſquis hos Origenis Commentarios vel inſpexerit modò, comperiet mox verum eſſe quod dicimus. Neque verò autoritati derogat Interpretis, quòd non per omnia ſic ei adhæret, quin aliquando alijs vtatur ſermonibus quàm habeat Vetus interpretatio, quòd etiam quædam videatur arguere velut malè in Latinis codicibus interpretata.

pretata. Cum enim priuati ſint hi Commen
tarij,nihil prohibet Hieronymum in interpre
tando talibus vti vocabulis atq; orationibus,
quibus ſe credat ſignificantiùs & perfectius
poſſe ſui autoris,hoc eſt,Origenis Greci, ſen-
tẽtiam exactiſsimè effari.Nã & ipſe haud du
biè alijs vtitur ſermonibus quàm Paulus. Cæ
terùm quòd videtur in quibuſdam corrigere
interpretationem noſtrã veterẽ,incertum eſt,
an ipſi Origeni Greco autori debeant tribui,
an Hieronymo interpreti,tanquã obiter inſer
ta.Quicquid autẽ hac de re ſit verius,dicimus,
illã correctionẽ ex intelligentiarum diuerſita
te ortã eſſe.Cuiuſmodi eſt illud 1. ca.Epiſt.hu
ius ad Rom.Qui prædeſtinatus eſt filius Dei
in virtute;quòd corrigitur in Origene,tãquã
malè habeãt Latini codices,qui prędeſtinatus
eſt,dicit vero legi debere,qui deſtinatus eſt:vbi
ad eam rem multis agit, & adeò perſequi vi-
detur noſtrã Vulgatã lectionẽ,vt conetur fal-
ſitatẽ imponere illi lectioni,quę legit,Prędeſti
natus eſt. Et tamẽ in noſtris collationibus ſpe
ro mõſtrabitur,quẽadmodũ cõuenientiſsimè
iuxta ſanã intelligentiã Interpres vetus dixerit

ac verterit,prędeſtinatus,nõ pręiudicãs illi al
teri intelligentiæ,quã vult Origenes.Rurſum
quod 6.ca.dicit,Gręcè melius haberi,cogitate
quã exiſtimate,in eo loco; Ita & vos exiſtima
te,vos mortuos quidẽ eſſe peccato,&c.Cõſtat
cuilibet Gręcè ſcienti verbũ logizeſthę λογίζεσθαι
potiùs ſignificare exiſtimare, quàm cogitare:
Nã dialogizeſthæ διαλογίζεσθαι rectiùs cogitare ſi
gnificat.Sed hoc tãtum vult aliquid adhuc em
phaſis in ſignificatione Gręci vocabuli cõtine
ri,quod excutiebat autor Origenes,quã vete-
ris Interpretis verbum illud,exiſtimate,nõ ſa
tis apertè proponebat: atq; ob hoc eã Hiero-
nymus interpres vocabulo cogitationis voluit
indicare.Nam & ſtatim textus cõtinuitatem
proſequens,rurſum exiſtimate ponit, non co-
gitate, quod tamen viſus fuerat tanquam re-
ctius prędferre.neq; putandus eſt Hieronymus
hoc in opere egiſſe oſcitãter,& parum illi cor-
di fuiſſe,vt exactè redderet Gręcã proprietatẽ.
Quis enim citra Hieronyminiuriã hoc poſsit
aſtruere? Cũ ipſe teſtetur in ea, quã præmiſit
operi prędfatiõe,magno ſibi & immẽſo labore
cõſtitiſſe hoc operis.Neq; vero ſum neſci⁹, eſſe

qui dubitent, num iſta Origenici Commentarij conuerſio, Hieronymo debeat adſcribi: Sic nimirum diuinando non fuerit difficile in dubium penè omnia reuocare, quæ manifeſta ratione doceri nõ poſſunt: certè operis ipſa præfatio atq; concluſio, veritati ſatis probabile videtur præbere teſtimonium. Atq; vt etiam tergiuerſator aliquis contingat, qui id planè neget, parùm ille obſtabit ijs quæ à nobis dicta ſunt: quãdoquidem & in alijs eiuſdem præclariſsimi viri operibus idipſum facile fuerit mõſtrare: à modernis videlicet correctoribus plurima immutari, multa argui, nõ pauca acrius taxari, nonnulla etiã apertè irrideri, quæ apud Hieronymum ſic poſita inueniuntur: nec ab eo ſolum ſed à vetuſtioribus quoque, Irenæo, Tertulliano, Hilario, Cypriano, Ambroſio, atq; Auguſtino; vt taceam vel poſteriores, vel inferiores. Et hactenus quidem quæ ad noſtræ Vulgatæ interpretationis fidẽ faciunt, ex Hieronymi autoritate adduximus; & quàm non ſpernendum neq; irridendum ipſe duxerit veterem Interpretem, ſatis apertè patefecimus. Vtergo illuc reuertamur, vndè nos Hieronymiana digredi fecit autoritas, arbitramur, ſatis euidentibus rationibus & argumentis ſuffi cientibus iam eſſe monſtratum, quod fuerat propoſitum, nempe, Veterem hanc & Vulgatam noui teſtamenti editionem, qua vulgo vtitur, eſtque vſa à plurimis annorũ centenarijs Latina Eccleſia, à beato Hieronymo iam grádæuo, & proinde in ſcripturis diuinis haud dubiè exercitatiori, quanta fieri potuit fide & diligentia (id quod de eius viri probitate ac ſanctimonia iuſtiſsimum omnino eſt nos exiſtimare) ad antiquiſsimorum codicum fidem facta collatione diligenti recognitam eſſe atq; emendatam: eamque recognitionem hanc ipſam eſſe editionem Vulgatam, quæ nunc eſt in manibus Latinorũ, & in vſum recepta Latinarum omnium Eccleſiarum. In qua recognitione non eſt exiſtimandum negligenter illum egiſſe, aut diſsimulando aliqua præterijſſe eorum quæ ad rem facerent, & quorum cẽ ſeret correctionem faciendam: præſertim cũ à ſummo Sacerdote mandatum accepiſſet ſuper hac re Pontificalis atque Paternæ iuſſionis, non poſtulationem, ſiue ab inferiori, ſiue

ab æquali, humilis tantùm ſupplicationis. Sic enim Damaſo reſpondens ſcribit Hieronymus, Beatiſsimo Papę Damaſo Hieronymus. Nouum opus me facere cogis ex veteri, vt poſt exẽplaria ſcripturarum toto orbe diſperſa, quidam arbiter ſedeã: & quia inter ſe variant, quæ ſint illa quæ cũ Greca conſentiant, veritate decernã. Et poſt pauca ſubdit, Aduerſus calumniantiũ inuidiã duplex cauſa me conſolatur, quod & tu, qui ſummus Sacerdos es, fieri iubes &c. In quibus verbis patenter ſatis demonſtratur, etiam ſi vt amicus id forſitã poſtulauerit Damaſus, ita tamen ab Hieronymo, vt decebat, poſtulationem fuiſſe ſuſceptam, quaſi paternæ iuſsionis mandatum, ſiue etiam vt Põtificalis coactionis imperium. Ad hæc, veriſimili ſatis æſtimatione facile aduertere poterat Hieronymus, quo animo huiuſcemodi mandatum ſummus ſibi Pontifex demandaſſet: nempe, vt per ipſius recognitionem, finis fieret maximę illi varietati, & ſcripturarum vnitas introduceretur in Eccleſias vniuerſas. Vnde pro amore & zelo ardentiſsimo, quo ſecundum Deum, ſupra quam dici poteſt, poteſt, vir ille tum, erga ſcripturarum veritatem, tum erga Eccleſiæ vnitatem ferbuiſſe ſemper cognoſcitur, nõ dubium eſt, quin omnia hac in re, quæcumque oportuna eſſe potuiſſent, adhibuerit. Recognitionem igitur hanc (vti iam monſtrauimus) ſummi Pontificis iuſſu fecit Hieronymus. Nouam verò editionem ſe feciſſe, nuſquam ipſe teſtatur. Imo verò ex ipſis Hieronymi verbis, in calce libri, quem de Viris illuſtribus ſcripſit, ſi diligenter locutionis modum & diſtinctionem attendimus, ſatis liquere nobis poteſt, illum non niſi de recognitione iſta, quam diximus, facere mentionem: cum poſt alia multa elucubrationum ſuarum opera quæ enumerat, ſubiungens: Nouum Teſtamentum (inquit) Græcæ fidei reddidi, Vetus, iuxta Hebraicam tranſtuli. Vbi dum ita diſtinctè loquitur, Vetus teſtamentum ſe afferens iuxta Hebraicam fidem, ſeu veritatem tranſtuliſſe, Nouum verò non tranſtuliſſe ſe dicit, ſed Græcæ fidei reddidiſſe, nonne de recognitione tantùm ad exemplarium Græcorum collationem, facta emendatione, manifeſtè loqui

cognoſcitur? Videant itaque qui ſuis annota
tionibus Veteris editionis ſic paſsim plurima
taxant, ſuisque nouis verſionibus innouant
omnia, non ſolùm Interpreti veteri, quem ve
lut ignotum parui pendũt parui pendere, ſed
pariter & diuo Hieronymo non ſe ſatis defer
re, neque enihil eius autoritati derogare, dum
editionem illam quam ille ſe recognouiſſe, &
Græcæ fidei (neq; dubium quin diligẽter) red
didiſſe affirmat, iſti ſuis annotamentis & no-
uitatibus, velut prorſus indignam monſtrare
conantur, & quaſi è Græcorum fide paſsim
diſſentientem, innouatione opus habere. Et
quidem ſi talem iudicaſſet vir ſummi exactiſ-
ſimiq́ue iudicij ſacer Hieronymus, Veterem
iſtam ac Vulgatam editionem, nonne oportu
nitas illi maxima innouandi tunc erat, cum à
ſummo Pontifice cogeretur, ad monſtrandã
Græcæ fidei veritatem? Etſi omnino aliquan
do immutanda fuit vetus illa editio, quęſo te,
quando oportunitas maior eſſe poteſt, quam
illo erat tempore? Vulgabantur enim paſsim
adeo variantia Latina exemplaria, vt tot eſ-
ſent exemplaria, quot codices, idque nõ in ver

bulis aliquot, ſed in ſententia prorſus, & ſcrip
turarũ ſubſtantia. Damaſus ſummus Pontifex
vltrò inuitat, ſollicitat, immo cogit Hieronymũ,
vt ſuo iudicio finem huic varietati faciat. Ha-
betur Hieronymus ſenex & grandæuus, qui
iam Vetus Teſtamentum non infeliciter poſt
ſeptuaginta illos Spiritu dei plenos Interpre-
tes, denuò fuit interpretatus; an verò omne, an
aliquot partibus, non eſt præſentis negotij diſ-
putare, neq; ad noſtram rem quidquã attinet.
Græcorũ potiſsimũ vetuſtiorũ veritas, erat in
corruptior & firmior. Et quãdo tanta vnquã
opportunitas aut fuit, aut eſſe poterit, ad inno-
uandum vetera, ſi minus bona fuiſſent, & ma
le reddita? Noſtris temporibus non eſt in Lati
nis exemplaribus vetuſtioribus, niſi in pauciſ-
ſimis & minimis, differentia, neque ſunt men
dæ vllius ponderis, niſi vel librariorum incu-
ria, vel ſciolorum præſumptione admiſſę: pro
quibus emẽdandis, nihil eſt opus innouari om
nia. Neminem hominum Damaſus cogit, ſol
licitat, aut vltro inuitat ad innouationẽ noui
Teſtamẽti audendã: quanquam ſollicitati Ec-
cleſiæ primates facilè conniuẽt, atq; fauorẽ im

pẽdũt ſtudioſorũ laboribus, quatenus cõmuni legẽtiũ vtilitati in vllo prodeſſe queũt. Et adeò videntur noſtra hac tẽpeſtate corrupta atq; variãtia Græcorũ exẽplaria, vt forſitã modò ſit tutius ex Latinis Græca, quã ex Græcis Latina corrigi. Cũ ergo ſit noſtra vetus ac Vulgata editio, à doctiſsimo eodẽq; ſanctiſsimo Hieronymo optimè recognita, & Græcæ fidei in ijs, quæ vel à vitioſis ſuperueniẽtibus interpretibus malé edita, vel ab imperitis præſumptoribus peruerſè emẽdata, vel à librarijs dormitãtibus aut addita, aut omiſſa, aut mutata ſunt, diligẽter reſtituta, ſuperuacaneũ eſſe videtur, vt deinceps ex inemẽdatis Græcis, iterũ nobis eã dẽ reducãt varietatẽ noui correctores, forſitã etiã eãdẽ falſitatẽ, à qua ille olim libros noſtros expurgauit. Nã qui noſtris temporibus admittũtur ex Græcis Latina corrigere, eãdẽ varietatẽ reducũt, quæ Hieronymũ coegit onus illud ſuſcipere, ita vt neceſſe habeat iterũ ille ad nos reuerti, & variãtes ab inuicẽ ſuo iudicio cõprimere. In his enim noſtris collationibus, Domino donante, luce clarius videbitur, quantùm ſæpè inter ſe diſſideãt, qui noſtra tempeſtate ſe dicũt ad

ad Græca expẽdere Latina. Quę ſola varietas meritò deberet Eccleſiæ ſanctæ eſſe ſuſpecta, & pijs mẽtibus formidãda. Nã apud Danielẽ, tametſi neuter ſenũ, ex ſuo potuit dicto manifeſtè argui falſitatis, ſola tamen diſſenſio ſuſpitionẽ reuelauit criminis latentis. Nã ſi res pergat, vt cœpit, & ſciolus quiſq; mox vt Græcè Latinèq; atq; Hebraicè didicerit vel tenuiter, tẽtare incipiat huiuſmodi emẽdationes, innouationes atq; interpretationes, videãt intelligẽtes, quid inde cõmodi ſit cõſecutura Eccleſia ſancta Dei. Nihil enim vnitati Eccleſiæ tã neceſſariũ, nihil eã ſic fouet atq; in vnitate intertinere potens eſt, vt ſcripturæ vnitas, & omnino per omnia cõſenſus. Qua parte infeliciora fuerũt Ambroſij, Hieronymi, & Auguſtini tẽpora, quando infinita erat ſacrorũ librorũ varietas, dũ quiſq; pro ſua hæreſi ſcripturas conaretur trahere, interpretari, corumpere, cum tot penè vulgarentur exẽplaria, quot codices. Poſtea verò quã Sãcti ſpiritus prouidentia, Damaſi ſollicitudine, per glorioſum illud orbis lumen ſacrũ Hieronymũ, recognitionẽ iſtã exercuit, ſicq; Eccleſia ſancta cõcordẽ ſcripturarũ

vnitatem, maximum haud dubiè beneficium, ex Deimunere accepit; omni sublata varietate, Latinarum Ecclesiarum vnanimi consensu, recognitionem illam vidimus gaudenter ab omnibus vbique susceptam. Partim quidē (quod est omnino verisimile) Damasi Pōtificis autoritate, quādoquidem ad hoc ille onus istud iniecerat Hieronymo, vt varietati Latinorum codicū finem faceret; potissimū verò, sancti spiritus occultiori operatione, omniū Ecclesiarū animos in vnum inflectentis consiliū. Neq; ex eo tēpore apud aliquē posterorū scriptorum, reperitur in vsu fuisse alia editio, neq; secundū aliā editionē in fidei testimoniū, Latinorum quisquā ex eo tempore citasse scripturam aliquam inuenitur, nisi secundum eā, quę tunc recepta fuisse videtur, & vsq; modo nobis integra permanet, Veterem editionē. Illud verò quis ferat, quòd ea quę olim Hieronymus correxit, ab nostri temporis correctoribus, iterū ex Grecis conspiciantur deprauari? In Epistola siquidem ad Marcellam (quemadmodū supra diximus) testatur Hieronymus 12. cap. Epistolę ad Rom. legendum, Domino seruientes,

tes, non vt Vulgata tunc Latina habebant exēplaria, Tempori seruientes: ij tamē qui nostra tempestate innouant vetera, illud inueniūtur & legere & approbare, quod ex eius sententia nō est Apostolicæ veritatis. Itē quod nos legimus primæ ad Corint. cap. 7. Qui sine vxore est, sollicitus est quæ domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cū vxore, sollicitus est quæ sunt mūdi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Deinde, Mulier innupta & virgo cogitat &c. Hoc sic legē dū docet lib. 1. cōtra Iouinianū, quem admodū iā antè citauimus. Et hanc esse veritatem Apostolicæ lectionis affirmat: alteram verò lectionem quam olim ipse quoque in Latinis exemplaribus habitā dicit, & quæ nunc in Græcis habetur, quanquā suā habeat sententiā, & rectè exponi possit, tamen non vult esse Apostolicæ veritatis. Tamen sic nunc concorditer emendatur à nostri tēporis correctoribus: sic enim iuxta Greca Vulgata legunt. Qui cū vxore est, cogitat quæ sunt mūdi, quomodo placeat viro suo. Diuisa est mulier & virgo. Deinde, Innupta cogitat &c. Quod itē in prefatione Epistolis canonicis præ

missa adnotauit Hieronymus, indignissimè ferens, Trinitatis testimoniũ in Epistola Ioannis omissum esse, & trium tantũ, hoc est, spiritus, aquæ, & sanguinis fieri mẽtionem, affirmans quoque ad veritatem verorum Grẽcorum debere restitui: nonne ante annos aliquot ex Grẽcorum mendis nobis fuerat subtractum? Et iam persequentes correctores, Hieronymi laborem irritum fieri, ita patenter res docet vt dissimulari non possit. Quoniam verò ij, qui nunc corrigẽdam aut mutandam existimant editionem nostram Vulgatam ad Græcam veritatem, se dicunt hęc agere, quòd sanctorum patrum concilijs atque decretis satis videtur consonum, illud censentibus, veteris testamenti libros ad veritatem Hębraicam, noui verò ad Grẽcorum fidem corrigendos, necessarium erit de his quoque latius aliquantulum pro veritatis elucidatione sermonem facere. Ac primùm quidem ex ijs, quę secundum Hieronymi autoritatem supra adducta sunt, satis hoc comprobari videtur, Grẽca ista exemplaria ad quę, velut ad regulas examinari volunt moderni correctores Vulgatam La-

Latinam editionem non satis emendata, neque satis esse bonę fidei: cùm in plurimis aliter omnino habeant, quę Hieronymus asserit in Græcis probatioribus haberi: quemadmodũ ex locis supra adductis & nominatim citatis, facile intelligit quisquis ea in memoriam reuocando, atque ad inuicem conferendo, diligenter expenderit. Cuius rei argumentum nõ modicum apparens, est ipsa quoque Grẽcorum cõdicum nimia dissensio, & varietas multò maior quàm in correctis Latinis voluminibus inueniatur, eaque non in verbis modò & literis, sed non rarò in sententijs: ita vt nonnunquam prolixam sententiam habeant quædam exemplaria, quæ non habent alia, aut aliter habeant. Neque est necesse, vt locis adductis, ea quæ in sequentibus tractari habent, huc etiam adferamus, sicque inutili earundem rerum replicatione, efficiamur, & molesti lectoribus, & in prologo supra quã decet prolixi. Qui nostras collationes subsequentes, ordine consequenti perlegerit, is vera comperiet quæ diximus. Ac proinde non satis mihi hoc iustum videtur aut rationabile, vt ex Græ

corum

corum mendis, Latina per Hieronymũ fideli ter emendata corrigantur: quin potius illorũ veritas (ſiquidem res ita ſe habet vt ex Hieronymi autoritate monſtrauimus) ad Latinorum codices in ſententiarum potiſsimùm varietate, videbitur examinanda, Neverò tantam ego ſuſpitionem Græcis codicibus ex me metipſo videar inijcere, quanquam & ex Hieronymi teſtimonio ſatis hoc ipſum aduerti poteſt, volumus ſacri quoque Antiſtitis Ambroſij ad idem proferre teſtimonia. Is enim cum Græcè ſciret, & commentarios haud quaquã pœnitendos ederet, non eſt tamen dignatus plerumque Græca conſulere, etiam vbi diuerſitatem aliquam ex Græcis haberi conſtabat: vt eſt videre in cõmẽtarijs, ſuper cap. 12. Epiſtolæ ad Romanos; Dicitur (inquit) ſic haberi in Græco, Dño ſeruiẽtes: quaſi innuat, ſibi operæpretiũ nõ videri, vt Græca ipſe inſpiciat, aut cõſulat per ſeipſum. Rurſum eiuſdẽ Epiſtolæ 5. cap. ſuper eo loco, Regnabat mors ab Adam &c. vbi quaſi indignabũd⁹ videtur ægrè accipere, quod ex Græcis, præſcribatur Latinis, quid legere debeãt: quaſi verò (inquit) nõ ipſi ab inuicẽ diſ-

diſcrepent, quod fecit ſtudium contentionis. Quia enim propria quis autoritate vti non poteſt ad victoriam, verba legis adulterat, vt nõ ratio, ſed autoritas præſcribere videatur. Conſtat autem quoſdam Latinos, porrò olim de veteribus Græcis tranſlatos codicibus, quos incorruptos ſimplicitas temporum ſeruauit & probat. Poſtquam autem concordia animis diſſidentibus, & hæreticis perturbãtibus, torqueri quæſtiones cœperunt, multa immutata ſunt ad ſenſum humanum: vt hoc contineretur in literis, quod homini videretur. Vnde & ipſi Græci diuerſos codices habent. Hoc autẽ verũ arbitror, quando & ratio, & hiſtoria, & autoritas obſeruatur. Nam hodiè quæ in Latinis reprehenduntur codicibus, ſic inueniũtur a Veteribus poſita, Tertulliano, Victorino, & Cypriano; Quę Ambroſij verba apertè teſtantur, quantam ipſe fidem habeat Græcis exemplaribus. Ad idem facit, quod Origenes vel interpres Hieronymus, in fine Cõmentariorum ſuper Epiſtolam ad Romanos dicit, in pleriſque Græcorum codicibus deeſſe totam illam prolixam ſententiam, Ei autem qui

potens

potens eſt vos confirmare &c. vſque in finem capitis. Quemadmodum eſt videre in Theophylacti Vulgariēſis Epiſcopi exemplaribus, qui nunquam illius partis facit mentionem. In aliquibus verò, ſtatim poſt caput quartumdecimum ponitur. Imo olim totū illud quod ſequitur pòſt; omne quod non eſt ex fide peccatum eſt; deerat. Marcion enim hęreticus (vt ibidem dicitur, partem illam & capita prędcedentia diſſecuit, quemadmodum & alia plurima. Et Ennonius hęreticus multa in Epiſtola ad Corinthios ſubtraxerat. Tertullianus quoq; libro quinto, aduerſus Marcionē, multa illum pro ſui erroris ſtabilimento aſſerit abſtuliſſe è Paulinis Epiſtolis. Cuiuſmodi eſt illud ex Epiſtola ad Epheſios, Interficiens inimicitias in carne ſua: vbi illum dicit abſtuliſſe, ſua: vt inimicitię daret carnem. Et illud, Superędificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum: vbi hęreticus (vt ipſe ait) abſtulit, & prophetarum, oblitus dominum poſuiſſe in Eccleſia ſicut Apoſtolos, ita & Prophetas. Poſt quę etiam ſubiungit, Non miror ſi ſyllabas ſubtrahat, cum paginas totas

tas plerumque ſubducit. Rurſum quod eſt in 3. capite, Mihi omnium minimo data eſt gratia hęc illuminandi omnes, quę ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſeculis, in Deo qui omnia condidit: rapuiſſe, dicit hæreticum, in, præpoſitionem, atque hoc pacto feciſſe vt legeretur, Occulti vel abſconditi æui vel ſeculi Deo qui omnia condidit; quod ille exiſtimabat pro ſua aſſertione facere, qua ſuum prędicabat ſeculi dominum & Deum qui corporalia iſta creaſſet, à Deo ſummo vero diſtinctū. Et pro hęreſum atque errorum diuerſitate, quiſquis quod ſuę contradicebat opinioni, hoc extirpare eſt adniſus, vt meritò potius ſimplicitati Latinorum ſit credendum, quàm illorum mendacijs, qui ſemper ſeculari ſapientię fiſi, varijs erroribus ab initio ſunt exagitati atque diuiſi. Quanquam verò ij qui nunc in manibus ſunt Grecorum codices, nō tam manifeſtam habeant hęreticorum corruptionem; tamen metuendum eſt, ne in tanta diuerſitate, & in tantis deprauandi conatibus, plurimę in eis inſint factę varietates, quas nulla ratione expediat in Latinos

codices transfundi. Quæ Græcorum exemplarium diuersitas, magnam oportunitatem deprauatoribus scripturarũ potest adferre: quẽadmodum econtrario Latinorum exemplarium vnitas atque per omnia penè consensus, maximum est adiumentum, vt difficile valeãt deprauari, maneantq; integra & incorrupta: vt nequis existimet paruam rem esse huiusmodi exemplarium consensum, & nihil ex diuersitate lectionum euenire periculi. Neq; mihi verisimile videtur, Hieronymum & Aug. si hanc ipsi scripturarum firmitatem, & exemplarium suorum sic mira dei prouidentia firmatam habuissent cõcordiam, illud vnquam vel suasuros, vel etiam permissuros, vt Latinorum codices ad Græca, ista potissimùm quæ minus videntur probata, expenderentur, & ex horum varietate, illorum firmitas inualidaretur, scinderetur q; concordia. Non quidem diffiteor Hieronymi & Aug. hoc fuisse consiliũ, vt ad normam Originalis idiomatis, in quo scripturæ primitùs traditæ sunt, Latinorum codicum fiat emendatio; Veteris quidem ad Hebræa, Noui vero ad Græca. Verùm si attendamus eas quas ipsi exprimũt rationes, forsitã inuenies quod pro illo tempore vtile erat consilium, nostra tempestate non æquè: forsitan etiam nullo modo probandum. Quis enim non nouit, sapientis id esse, pro temporis ratione mutare consilia? Neque enim quod semel bonum est consilium, perpetuò bonum permanet, neque quod pro tempore semel recte consulitur & prodest, proderit perpetuò quoties fuerit obseruatum: sed pro rerum exigentia, & temporis ac cæterarum circunstantiarum oportunitate, proderunt mutata consilia. Cum itaque potissimùm ob Latinorum codicum infinitam varietatem, illi prædictũ videantur dedisse consilium, sitque hęc, & fuerit à plurimis iam seculis longè profligata; nõ equidem arbitror, Sanctorũ patrum nos contrauenire aut contradicere cõsilijs, si id quod tunc ipsi pro suorum temporum necessitate expediens iudicauerint, nos pro ratione nostri temporis negemus proficuum. Siquidem nõnulla sunt & Christi domini eiusmodi consilia siue præcepta, quæ pro certa temporis ratione data, non perpetuò erant obseruanda,

Neque indignatus eſt ſuis Apoſtolis Chriſtus, quando poſt eius aſcenſionẽ euntes in vniuerſum mundum, gentes omnes docebant Chriſti euangeliũ; cùm tamẽ prius illis præcepiſſet, in ciuitates gentium prædicationis gratia nõ introire. Quòd autem potiſsimum ob Latinorum codicum varietatẽ prędicta fuerint data conſilia, ex illorũ verbis id facilè fieri poteſt diligenter attẽdentibus, manifeſtum. Illorum namq; temporibus tãta erat Latinorũ exemplarium varietas atque diſſenſio, vt Hieronymus teſtetur, tot penè fuiſſe exemplaria quot codices, & beatus Aug. 2. lib. de doctrina Chriſtiana, aſſerat, numerari non poſſe eos qui de Græco in Latinum fecerunt verſiones. Vt enim cuique (quemadmodum ibidem refert Aug.) primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, & aliquantulum facultatis ſibimet vtriuſque linguæ habere videbatur, auſus eſt interpretari. A qua varietate tot iam ſeculis nos conſtat, ſingulari Dei munere fuiſſe, atque etiamnum eſſe liberrimos: niſi quòd à paucis annis ex parte aliqua cœpta nõ bis eſt reduci priſtina varietas. Neque verò Concilij Viennenſis nos latet Decretum, quo linguarum variarum præceptores ſtipendijs publicis inſtituuntur, id quod nonnulli ad librorũ Latinorũ correctionem ridiculè factũ exiſtimant: nõ attendentes, neq; quid dicatur, neq; quod dicitur, quorſum dicatur. Facillimè enim videbit quiſquis habet iudicium, & quiſquis inſtitutũ huiuſmodi quod eſt in Clementinis, de Magiſtris, legerit, nihil hoc ad noſtrum pertinere negotium, neque noſtris dictis quicquam aduerſari. Non enim illo in loco de ſcripturarum emendatione vel verbum attingitur, ſed tantùm de infidelium ad Chriſti fidem conuerſione ordinatur. Libet ipſum potius Concilij Decretum ſubſcribere. Nos (inquit Clemens quintus in Concilio Viennenſi) illius, cuius vicem in terris, licet immeriti, gerimus, imitantes exemplum, qui ituros per vniuerſum mundum ad Euangelizandum Apoſtolos, in omni linguarum gene re fore voluit eruditos, viris catholicis notitiã linguarum habentibus, quibus vtuntur infideles prẽcipuè, abundare ſanctam affectamus Eccleſiam: qui infideles ipſos ſciant & valeãt

ſacris inſtitutis inſtruere, Chriſticolarumque collegio, per doctrinam Chriſtianę fidei ac ſuſceptionem ſacri baptiſmatis aggregare. Vt igitur peritia linguarum huiuſmodi, poſsit habiliter per inſtructionis efficatiam obtineri, hoc ſacro approbante Concilio, ſcholas in ſubſcriptarum linguarum generibus vbicunque Romanam curiam reſidere contigerit, necnon in Pariſienſi & Oxonienſi, Bononienſi, & Salmantino ſtudijs, prouidimus erigendas: ſtatuentes, vt in quolibet horum locorũ habeantur viri catholici, ſufficientem habentes Hebraicę, Arabicę, & Chaldęę linguarum notitiam, duo videlicet vniuſcuiuſq; linguæ periti, qui ſcholas regant inibi, & libros de linguis ipſis in Latinum fideliter transferentes, alios linguas ipſas ſollicitè doceant, eorumq; peritiam ſtudioſa in illos inſtructione tranſfundant: vt inſtructi & edocti ſufficienter in linguis huiuſmodi, fructum ſperatum poſsint Deo autore producere, fidem propagaturi ſalubriter in populos infideles. Hactenus Clemens eius nominis quintus in Concil. Viennẽ ſi. In quibus verbis euidentiſsimum eſt, nihil hic prorſus agi de ſcripturarum emẽdatione vel immutatione, nec eò tendere hoc inſtitutum, ſed vt per linguarum harũ cognitionem, infidelium populi, qui non niſi eiuſmodi linguas norunt, valeant in Chriſti fidę edoceri. Et quòd iubentur magiſtri iſti, libros illorum in Latinum fideliter transferre, nõ ob aliud dicitur, quàm vt ſic linguæ eiuſmodi facilius valeant à magiſtris doceri, & capi à diſcentibus. Magnum ẽnim adiumentum eſt linguam peregrinam diſcere volentibus, ſi libros aliquot linguæ illius habeant, noto ſibi idiomate interpretatos, quorum collatione, dum verbũ verbo plerumq; reſpõdere vident, ex eo quod ſibi notum habent idiomate, quid in peregrina lingua quod non intelligunt, ſignificet, facilè percipiunt. Alioqui non ab Hebræis modo, ſed à Chaldæis quoq; & Arabibus, ſcripturarum ſuarum Latini cogentur quęrere veritatem. quod ità eſt abſurdum vt nihil dici poſsit abſurdius: cum fidelibus ſanctarum ſcripturarum nihil in eiuſmodi idiomatibus ſit primitùs datũ. Deniq; aliud eſſe cõſtat, ad Grękę fidei normã Latina examinari, aliud innouari.

Neq; ſtatim conſequitur, ſi iuxta Græcam veritatem examinanda putent Latina, licere ob hoc, quoties cui libuerit, ad Græcos codices Latinorum innouare editionem, aut hoc illorum conſequens eſſe conſilium. Hoc enim ſi Hieronymi fuiſſet cõſilium, nõ dubium, quin in tãta oportunitate quam ſupra diximus, nouam maluiſſet conuerſionem facere, quemadmodum in Veteris Teſtamenti ſcriptura diligenter fecerat: neq; id quidem multo maiore, forſitan & minore aliquãto labore, quam recognitionẽ iſtã quã tenemus, perfecerit: quod per quàm facilè erit credituris, qui norunt, quantũ plus habeat laboris, & moleſtiæ multò amplius, pluribus in locis attritam veſtem nouarum inſertione partium reſarcire, quàm nouam aliquam totam conſuere. Cęterũ, Auguſtino, examinari aut emendari ad normam Originalis linguę, ſi idem fuiſſet quòd innouari, non ſic indignè Hieronymi laborẽ tuliſſet, quẽ poſt Septuaginta Interpretes, Veteris Teſtamẽti nouę verſioni tentauit impẽdere. Nã correctionis laborẽ ſibi placere aſſerit, ſed poſtã egregium Septuaginta Interpretũ laborem, proban-

probandam non putat nouam verſionem: id quod nõ vno in loco vident, qui illius euoluũt lectu digniſsimos libros. Erat tamen cauſa indubiè maior & rationabilior, vt Veteris Teſtamenti nouam aliquam probatam de Hebręo fonte poſt Septuaginta Interpretes, admitteret verſionem, quàm pro Noui Teſtamẽti immutatione aſsignari aut inueniri ppſsit. Videbatur enim ad Veteris Teſtamenti verſionem nouam, illud compellere, quòd manifeſtiſsimum eſſet, Vulgatam illam Septuaginta Interpretum editionem, plurimis in locis vſque adeò nihil cum Hebraica ſcriptura cõuenire, vt frequenter aliud omnino poneretur in eorum verſione, quod in Hebræorum nullis cõdicibus vlla potuiſſet ratione inueniri: multa quoque à Septuaginta religioſè tacita fuerant, aut diſsimulata prudenter, aut pro gentis cognitione in alium ſenſum mutata, id quod nec ipſe diffitetur Auguſt. capit. 15. libri ſecundi de doctrina Chriſtiana, ſcribens in hunc modum. Etiamſi aliquid aliter in Hebræis exemplaribus inuenitur quàm iſti poſuerint, credendum eſſe arbitror diuinæ

diſpenſationi, quæ per eos facta eſt, vt libri quos gens Iudæa cæteris populis, vel religione, vel inuidia prodere nolebat, crediturus per Dominum gẽtibus, miniſtra Regis Ptolomęi poteſtate, tantò antè proderentur. Itaque fieri poteſt, vt ſic illi interpretati ſint, quemadmodum congruere gentibus, ille, qui eos regebat, & qui os vnum omnium fecerat Spiritus ſanctus, iudicauit. Atque hoc ipſum & alijs in locis frequentiùs replicat, adeò non nunquam, quod in illis fuit Spiritus ſancti donum efferens, vt eos non Interpretes tantùm, ſed ſimul etiam Prophetas audeat prædicare: vt non verſio tantùm, ſed ſimul noua quædam Prophetia & noua ſcriptura videatur: quemadmodum & fateri videtur pene neceſſarium, ei, qui non velit illorum verſionem ſcripturam tantùm eſſe humanam, non diuinam: cum omnibus Hebraicè vel tenuiter ſcientibus id fieri poſſit Hebræorum collatione notiſſimum, ijſque quoque qui Hebraicè non norunt, ex Hieronymi autoritate diſcere ſi promptiſſimum, frequenter illos prorſus aliud quàm in Hebræo habeatur, poſuiſſe. Vnde fit,

ſi ſuo tantùm ſenſu fuerint locuti, vt prorſus humanum fecerint quod Ptolomæo tradiderunt: id quod non videtur veriſimile. Hæcitaque ſatis agnoſcens, neque negans Aug. aſſerit tamen Veteris Teſtamenti ad Hebræam veritatem, innouationem, ſibi non probari. At verò in Noui Teſtamenti Latinis codicibus, prorſus non inuenitur iſta neceſcitas. Vt enim illud ſecundum veritatem ingenuè profitear, quod ſecundum eam quæ in me eſt qualemcunque Dei gratiam, in vero cordis iudicio ego ſentio, veterem Noui Teſtamenti editionem adeò ab ea re longè abeſſe iudico, vt non videam in omni iudicio cordis mei, quemadmodum alia vlla omnino humana via poſsit dari, quæ & Latinæ linguæ melius, & ſic Græcæ literæ poſsit adhærendo plenius ſatisfacere. Nam beatus Auguſt. illos potiſsimùm Interpretes ſectandos putat, qui verbis Originalis ſcripturæ tenaciùs inhæſerunt, ex quibus aliorum errorem putat diligendum, qui ſententias magis quàm verba transferre voluerunt. Certè de ijs editionibus, quas prænominati nobis viri, ſuis

hac tempeſtate edidêre laboribus, citra illorum omnem iniuriam, (neque enim indigna ri poterunt ſi non omnibus eos veteribus per omnia præponimus) illud fidenter pronuntiare auſim, multò pleniùs vt plurimum Græcam veritatem reddi, & emphaſim explicari in editione Veteri, quàm fiat in nouis illorum verſionibus. Quæ res donec ignoratur ab ijs qui Græcè non norunt, fidei leuitate deceptos plurimos, in hunc trahit errorem & in eo retinet, vt contemnendam exiſtiment verſionẽ Veterem, aut vt minimum præponendas aliorum nouas, quòd Veterem Latinorum Vulgatam editionem arbitrantur plerumq; à Græca deuiare litera, & paraphraſticè plerumq;, non adhærendo ſcripturæ verbis, ſenſum magis quàm verba explicare. Nouorum autem verſiones, vana perſuaſione, ob celebritatem eorum qui eas condiderunt decepti, putant pleniſsimè per omnia & ſcripturarum veritatem explicare pleniùs, & Græco contextui magis adhærere; & videntur hi quidem tali ſimplicitate, ſiue potius ſtoliditate & leuitate falſi, aliquatenus venia digni, cum neſciant neque intelligant omnino, quid ſentiãt. Nam ſi ita res haberet (vt ipſi fallacia decepti habere ex præſuppoſito arbitrantur) indubiè recta eſſet illorum exiſtimatio, & meritò, magis veris magiſque integris nouis aduenientibus, antiquari, aut in partem ſeponi, aut vt minimum poſtponi deberent vetera. At verò cum longè aliter rem habere, facile, quiſquis Græca cum illorum nouis & noſtra Veteri, ſecluſis affectibus, diligenter contulerit (coram Deo in veritate loquor, teſtimonium mihi perhibente, ante Chriſti tribunal conſcientia mea, vtinam & in Spiritu ſancto mihi liceat addere, non audeo tamen meæ prauitatis mihi conſcius) vehementer ego conſultum exiſtimo, optoque perſuaſum omnibus, qui Chriſtiano, pioque & erga Chriſti ſummæ primæque veritatis vetera beneficia grato ſunt animo, aut etiam eſſe velint, perſuaſionem iſtam, (quæ mihi ſanè non ſatis æqua videtur) tantiſper vt ſeponant, donec collatione facta ea ſine priuatis affectibus (qui neminem non nouerunt excœcare) hominum iudicia excuſſerint, atque id quod

quod verum eſt, ſiue per ſemetipſos, ſiue per alios dignos fide vtriuſque linguæ peritos cõpererint. Quanquam eiuſmodi forſitan non ita fuerit in promptu reperire qui affectibus ſint priuatis liberi, dum magna ex parte ſermonis potius nitorem, quam Originalis ſcripturæ plenam & apertam veritatem, eiuſmodi homines noſtra hac tempeſtate ſectari ſolent. Abſit verò vt lædi ſe putent, qui extra gregem huiuſmodi hominum, ſuper omnia didicerunt, ſanctam ſuperponere veritatem. Hoc ſanè conſilium, ſi placitum fuerit ijs qui hæc legunt, fideliterque perfecerint, confido, tametſi non omnes (ſemper enim numero ſtultorum ſuperat vanitas: quemadmodum in ſapiẽtum vel modica multitudine, quæ ſanitas eſt orbis terrarum, ſemper benedicta ſuperuincit veritas) nonnullos tamen quibus cordis inerit amplius, pedibus in noſtram ſententiam libenter ituros. Poſſem hoc loco ad noſtræ ſententiæ perſuaſionem, de modernorum editionibus, quas prænominati viri ex Græcis fontibus ſe aſſerunt compoſuiſſe, coaceruatis locis, velut

velut per indicis modum commõſtrare, quẽadmodum ex Græcis ea non rarò vertant, cõtra interpretum omnium, Græcorum pariter atque Latinorum autoritatẽ, quę in Græco nulla ratione haberi videntur, ſenſuſq; longè à Pauli ſcriptis alienos, eiuſque propoſito nihil conducentes inducãt. Rurſum quemadmodũ in ſuis editionibus loca aliquot ex Græcis codicibus, qui nunc ſunt in manibus, mutauerint, in quibus tamen aperto etiam ipſorũ teſtimonio, rectius habebant Latina. Mutaſſe verò ob hoc ſe fatentur, nea Græcis eorum variẽt Latina: tametſi apertè ipſi Latinę lectioni perhibeant teſtimonium, quòd Græcis ſit præferenda. Iterum, quemadmodum ex eodem ſubinde Originali Græco, vſque adeò diuerſas & penè contrarias ſententias transferre ſoleant, vt nihil cum inuicem conueniant: quemadmodum ſibi inuicem cõtradicant frequenter: & ſuper omnia, quemadmodum à veteri lectione diſcedentes, frequentiſsimè vel latentem verbi alicuius emphaſim omiſerint, vel de ſententiæ plenitudine aliquid fecerint, ſua immutatione deperire: nonnunquam in-

tempe-

tempeſtiua ſuperflui ornatus affectatione, incommodam omnino ſententiam, & vix vero conſentaneam reddentes, quam neque Paulus habeat, neque quiſquam omnino interpretũ vel Græcorum vel Latinorum, in Paulo aſſerat haberi: quemadmodum paſsim ſuis annotamentis Veterem interpretationem, præter omnem ius & fas indignè vellicent atque coarguant, etiam in illis locis, vbi vel omnium interpretum, vel certè probatiſsimorum cum illa facit conſenſus: quemadmodum fœdiſsimos illi barbariſmos & ſolœciſmos obijciũt, voces arguunt, orationes taxant, vbi nullum omnino eſt ſecundum veritatem Latinitatis incõmodum, & in ijs quæ ſic per omnia à probatiſsimis Latinorum, poſita inueniũtur, Irenęo, Tertulliano, Cypriano, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, & cæteris: quemadmodum non rarò Interpretem veterem aſſeuerent audacter, Græcam literam & Pauli ſententiam omnino ſubuertiſſe, cum tamen illi ſententiæ quam explicat Interpres manifeſtè atteſtentur autores Grecorum: eam verò quã ipſi reddendam putauerant, non ſit apud vllum vſquam reperire. Iterum quemadmodũ loca quædam, ex quibus confundi ſolet hæreticorum prauitas, nouis adinuentionibus, ita immutauerint, in ſenſus tortos & à vero abhorrentes, vt hæreticorum erroribus aut omnino non valeant, aut minùs valeant, reuincẽdis. Hæc (inquam) atque alia huiuſmodi complura, non fuerit difficile in catalogum, ex ſingulis, exempla aliquot redigere, ac velut indice monſtrare, quantùm nouæ modernorum editiones Veteri præſtent: quò ſic eadem ratione Veteri editioni ſua reſtituatur autoritas, redeatque fides, quæ primum illi cępta eſt auferri. Verùm quia in ſubſequẽtibus noſtris collationibus hæc omnia, (licet ſparſim) nimirũ ſuis locis ſingula, abundè tamen monſtrare conati ſumus, neque id quidem noſtra autoritate, noſtris ve ſomnijs innixi, ſed adhibita plerumque vetuſtiſsimorum autoritate, non Latinorum tantùm ſed etiam Græcorum; ſuperuacaneum meritò videri debet ea huc non ſuo loco inferre. Quiſquis veritatem amas, veritatem diligis, veritatem requiris, lege primũ ſimplici atque libero animo, quæ pro ſanctæ veri-

veritatis defenſione magnis ſunt elaborata laboribus, lecta expẽde, expẽſa ac trutinata, quãtùm potes, corde affectibus libero diiudica, ac deinde quod ratione & autoritatibus ſuadentibus verum compereris, probatum ſerua. Quanquam illud, nouis quorundam verſionibus non paruam videatur adferre autoritatem, neque dubito quin ea res nonnullos in eroneam exiſtimationem pertraxerit, aut certè per ſe alioqui ſatis propẽſos induxerit, quod quidam ex ijs, quos orbis his noſtris temporibus habet, præ cæteris varia eruditione, potiſſimùm verò ſacrarum literarũ egregiè egregios, vitæ quoq; ſanctimonia, boni odoris fragrantia per orbem longè lateq; ſeſe diffundẽte, non minùs præclaros, zelo quoque erga ſanctam Eccleſiaſticę & orthodoxę fidei veritatem ſempiterna memoria dignos, inueniant in ſuis libris quos pro fundatiſsimę noſtrę fidei veritate, aduerſus peſtifera iam pridẽ exorta hæreſiarcharum dogmata ediderunt, in aſtruendis fidei dogmatibus, veteri poſthabita Vulgata editione, nouis potius vti voluiſſe. Cui rationi tam fuerit facile nobis reſpon-

ſione

ne certiſsima plenè reſpondere, quàm quod factu eſt facillimum, ſi non eiuſmodi optimè de re Chriſtiana meritorum, æterna quoque memoria clariſsimorum virorum veneratio, & pacis amor (quam nos quidem cum omnibus, quantùm in nobis eſt, cum veritate illæſam cuſtodire optamus) ſilere nos vel iuberet, vel ſuaderet: partim ne literis aliquid mandantes eorum quæ non expedit in vulgus propalare, agamus quod actum nolint, partim ne ea quæ huic loco nihil conueniunt, ad plenam veritatis elucidationem non ſatis ſuo loco proferre cogàmur. Optarem magis, vt ſiue per illos ipſos, ſiue per eos qui illis ſunt familiariores, eius rei quantum oportebit, veritas fieret aliquando manifeſta. Nos verò non ſatis quantùm aperire oporteat quod veritatis eſt, & quoad negotio noſtro ſufficiat cognoſcentes, malumus peruerſe ſilentium illud tamen in veritate proteſtantes, eam rem, vt laudis aliquid addiderit nouis, certè Veteri editioni Latinæ omnino nihil derogare, eiuſque fidem & autoritatem nihil prorſus eleuare. Tantum mihi concedent (non dubito) viri pijſsimi, pro veritate

aut

I aſſer-

asseruisse, quos & præclarissimæ vitæ fama, & ardentissimus toti orbi prædicat virtutis amor. Felicem illis pro pijssimis laboribus reddat omnipotens remunerationem. Verum ex ijs quæ pro Veteris Ecclesiasticę interpretationis fide & autoritate longè latèq; disseruimus, forsitan suspicetur aliquis, Græcis codicibus omnem nos fidem velle subtrahere, postea quam correctiores videri diximus Latinos per sacrum Hieronymum recognitos, quàm sint Græci isti, in quibus ea mõstrauimus inesse, quę olim velut non recta idem ipse notauerat: deinde, labores eorum qui ex Græcis fontibus, siue annotationes, siue nouas parauerũt editiones, videbimur forsitan alicui in totum repulisse. Quibus quę eiusmodi forsitan suspicabitur, obijciat nobis ex aduerso & dicat: Nihilne ergo ad sacrarum scripturarum germanam puriorem que intelligentiam, conducit Græcarum literarum peritia? Nihilne prodest Latinorum exemplarium ad Græca huius temporis collatio? aut omnino sunt explodendi nobis Græcorum codices, postquam correctiores existimãtur Latini? Deinde. Prorsus

sus damnandos tu existimas illorum labores, qui suo studio atque diligentia, ad Græcorum exemplaria, nouas hisce temporibus confice-retentauerunt versiones atque intelligentias? Et quæ ex Græcis per eos sunt annotata, putas nullam adferunt vtilitatem scripturarum studiosis? Atque hæc quidem non dubito, quin tacitus iam secum obijcere cœperit, qui ea, quæ in præcedentibus susius deduximus, perturbatior fortasse acceperit. Nos ergo secundum quod dederit altissimus, vtrique huic oppositæ obiectioni responsionem adhibere tentabimus, vt quæ non omnino improbanda sunt, quatenus probanda sint monstrentur, & nos hac via, duplici falsa suspitione liberemur. Ac primùm quidem illud à nobis quàm longissimè absit, vt asseramus, siue Græcarum literarum peritiam, nihil pertinere ad scripturarum intelligentiam meliorem, siue superuacaneam esse Græcorum exemplarium collationem. Nos sanè hactenus nihil tale asseruimus, neque vel attigimus, nisi hoc tantùm, quod eos, qui nunc sunt Græcorum codices, metuerimus magis

esse corruptos, minùsque habere fidei, quàm nostros Latinos, ab Hieronymo diligentissimè recognitos. Collationem tamen Latinorum ad Græca, qualiacunq; tandem ea sint, nequaquam reprehendimus: sed vt vehementer vtilem comprobauimus, atque ijs qui Græcè norunt modis omibus suademus. Plerũque enim propter inopiam sermonis quę est apud Latinos, & ex aduerso Græcorum abundantiam ac fœcunditatem, contingit, vt non sic aptè possint apud Latinos efferri singula, nec multo quidem verborum circuitu: neque ita plene explicari, quà habeantur in Græcorum vocabulis. Cuiusmodi est illud (exempli gratia) quod ponitur in Epistola ad Ephes. capit. A constitutione mundi: vbi Græcè pro constitutio habetur καταβολή. Cuius vocis emphasim facer Hieronymus commentariorum in eandem Epistolam lib. primo explicare volens, scribit in hunc modum. Non idipsum (inquit) καταβολή quod constitutio sonat. Vnde & nos, propter paupertatem linguæ, & rerum nouitatem, & (sicut quidam ait) quòd sit Græcorum sermo latior, & lingua felicior, conabimur non tam verbum trãsferre è verbo, quod impossibile est, quàm vim verbi quodam explicare circuitu. καταβολή proprié dicitur cum quid deorsum iacitur, in inferiorem locum mittitur de sublimi, vel cum aliqua res sumit exordium. Vnde & hi qui ædium futurarum iaciunt fundamẽta καταβάλλειν catabeblikenæ, id est deorsum initia fundamentorum iecisse dicuntur. Post quæ deinde subiungit. Volens itaque Paulus ostendere, quòd Deus vniuersa fit machinatus ex nihilo, non conditionem, non creaturam atque facturam, sed καταβολήν id est initium fundamenti ad eum retulit, vt non iuxta Manichæum, ac cæteras hæreles (quæ factorem & materiam ponunt aliquid, vnde creaturæ factæ sint) anteceſſerit creaturas, sed omnia ex nihilo substiterint. Hactenus Hieronymus. In quibus verbis manifestè videmus, quantam intra se latentem contineat emphasim vocis Græcæ significatio, quæ Latinis non facile neque paucis exprimi possit. Beatus quoque Hilarius in explanatione Psalmorum, frequenter admodum Græcarum vocum emphasim excutit, & longio-

ri verborum ambitu explicare tentat, Latinitatẽ afferens pluribus in locis, ſatisfactionẽ intelligentiæ Græcæ literæ nequaquã poſſe reddere. Item & Ambroſius in expoſitione Pſalmi 118. tractans verbum illud, Omnis conſummationis vidi finem; Latinos, ait, non poſſe in omnibus vim Græci ſermonis exprimere, quòd in Græco plerumque maior ſit vis & põpa ſermonis. Atque hæc quidem quia paſsim occurrunt, & ferè nuſquam non ſunt obuia, abſit vt ſine fructu dicamus eum eſſe laborem, quo cũ Græcis Latina cõferunt, eius idiomatis periti, modo humiliter nouerint ad ſobrietatem ſapere. Erit autem hoc, ſi quoties Græca exemplaria à Latinis correctis in ſententię veritate diſſentiunt, addentia quod non addunt Latini, aut deficientia in ijs, quę habent Latini, Græcorum non curetur autoritas: niſi quatenus vel ex Interpretum commentarijs, vel ex probatiſsimorum patrum ſententijs mõſtrari poſsit. Alioqui rectiùs ſupplebitur in illis quod deeſt, aut reſecatur quod ſuperfluum, aut mutatur quod minus ad veritatem eſt, quàm ſi illorum falſitas aut defectus

ctus aut varietas in nos transfundatur. Sit primi exemplum, quod in Epiſtola ad Rom. cap. vndecimo ponitur, vbi Græcè ſic legũt. Si autẽ gratia, iam nõ ex operibus: alioqui gratia iam non eſt gratia. Deinde addunt, Si autẽ ex operibus, iam non eſt gratia: alioqui opus non eſt opus. Quę particula, cum nullam poſsit debitam ſatis habere neque intelligentiam neque conſequentiam, optimè creditur non eſſe Paulinę veritatis: & tamen ſic reperitur apud Theophilactum Vulgarienſem Epiſcopum, & poſita & interpretata. Sed Origenis eam non habent exemplaria, neque cęterorum quiſquam hanc partem legiſſe inuenitur. Vnde propter Græcorum additionem, particula iſta apud Latinos adijci non debet. Similiter & de eo dicendum quod eſt in cap. 14. Epiſtolæ ad Romanos, vbi poſt particulam affirmatiuè poſitam, Qui ſapit diem, domino ſapit, Græci codices negatiuam reſpondentem ſubiungunt: Et qui diem non ſapit, domino non ſapit, atque ita in eius generis alijs, quæ non rarò in Græcis codicibus occurrunt. Sit ſecundi exemplum, quod ex

primæ Epiſtolę Ioannis capite quinto adduximus paulò ante, de Trinitatis teſtimonio, quod ſi Latini omittant propter Græcos, non rectè agitur; ſi quidẽ Hieronymo eſt habenda fides. Et profectò modis omnibus credendum eſt, potiùs illud omiſſum & eraſum ab hæreticis peruerſoribus, & ſchiſmaticis Grẽcis, quàm à Latinis adiectũ. Difficile enim fuerit tantũ verborũ adijcere, faciliùs multò omittere: præſertim in tanta oportunitate. Cum enim bis haberetur, Tres ſunt qui teſtimonium dant, facile fuit intermittere quod erat interiectum, & copulare quod ſequebatur poſt verbum ſecũdo loco poſitum, tãquã ſi nihil eſſet intermediũ. Quod frequenter feſtinantibus, aut hallucinãtibus Scribis videmus euenire: ſic & cap. 2. eiuſdẽ Epiſtolæ, vbi Græci codices omittunt, Qui cõfitetur filium, habet & patrẽ. Neq; rurſum (quod obiectionis particula poſterior prętẽdere videbatur) damnãdos illorũ cenſemus labores, qui nouis editis ſiue verſionibus, ſiue intelligẽtijs, Græcã ſtudent proprietatẽ ſua varietate ſtudioſis ſcripturarum indicare: ſi modò id nõ minori fiat reuerentia, quã diligentia. Hoc enim

enim illis, qui ingrediuntur aliorum labores, antè omnia diligenter obſeruandum eſt, vt patrum labores magis adimplere ſtudeant atque exornare, quàm confundere, vel euertere. Nam & Ambroſianorum exemplarium diuerſitas, nonnullam aliquando dat noſtro textui ampliorem intelligentiam, quæ tamen non rarò videmus Græcorum codicum parũ ſectari contextum. Hieronymus quoque multa excutiens in commentarijs, nonnihil ſubinde addit intelligentiæ. Annotauit plurima Laurentius vallenſis: in quibus tametſi pleraque ſint, quæ ſine cauſa, ſiniſtra ſuſpitione omnino non rectè veteris Interpretis nomen & autoritatem lædunt, tamen non diffitemur, multa quoque in eis ineſſe, quæ pro Latinæ editionis pleniore intelligentia non parum conducunt: ita vt qui cum iudicio illas diligenter perlegerit, non prorſus abſque fructu vacuus ſit rediturus. Noſtro quoque ſeculo ſacrati Deo ſacerdotes, Iacobus Faber Stapulenſis, & Deſyderius Eraſmus Roterodamus, præter eos quos ediderunt annotationum libros, nouas quoque ex Græco-

rum fontibus parauêre verſiones. Quorum laborem adeò ego quidem non cenſeo damnandum, vt exhibita opera & ipſe cum fuerit oportunum libenter vti velim, & alijs item permitti; vt cum iudicio vetera ſtudeant ex nouis intelligere. Plerumque enim quæ à noſtro Interprete ſunt trunca atque obſcura reſeruata, quemadmodum & ea Paulus ſcripſerat, aut clarioribus aut elegantoribus, aut pluribus ſunt apud eos verbis, velut paraphraſticè, clariùs atque lucidiùs explicata. Fieri enim nequibat, quemadmodum paulò antè monſtrauimus, vt Græca proprietas vno ſemper vocabulo ab Interprete perfectè redderetur. Neque item conueniebat commentatorum more, Interpretem multas ad idem voces coaceruare, aut longis frequentibuſque ſiue periphraſibus, ſiue paraphraſibus vti in interpretando, quod illis melius licuit, dum intelligentiam potius quam interpretationem in plurimis ſectari ſtuduerunt. Atque hac ratione non prorſus ſine fructu abibit, quiſquis nouas eorum intelligentias, priuata lectione in cubiculo, veteri noſtræ editioni, cũ iu-

iudicio exacto & ſano contulerit. Neq; enim ipſi eo animo nouas haſce verſiones ſe aſſerũt condidiſſe, vt intelligentias huiuſcemodi voluerint, taquam firmæ autoritatis interpretationes haberi, id quod & ipſi non vno in loco ſunt ſcripto teſtati, aut in Eccleſijs legi & decãtari, aut pro teſtimonio in diſceptationibus fidei adduci. Sed in hoc tantùm ſuum aiunt laborem piè deſudaſſe, vt ſacrarum literarum ſtudioſis Græcè neſcientibus, aliquam præberent, ſanctarum ſcripturarum intelligentiam ampliorem. Atque ita ſanè nihil dubium eſt, quin nouæ iſtæ verſiones, ad pleniorem intelligentiam capiendam, plurimum valeant: id quod & Aug. teſtimonio facile comprobari poteſt, qui libro ſecundo de doctrina Chriſtiana, ea quæ ad rem iſtam faciunt diligenter pertractans, Latinorum codicum diuerſorũ collationem, in plurimis cenſet eſſe proficuam, & amplioris rectioriſq; intelligentiæ aſſerit adiumentum. Sic enim capitulo vndecimo ſcribit, Qui ſcripturas ex Hebræa lingua in Græcam vertunt linguam, numerari poſſunt, Latini autem Interpretes nullo modo. Vt enim cuique pri-

primis fidei temporibus, in manus venit codex Græcus, & aliquãtulũ facultatis sibimet vtriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari. Quæ quidẽ res, plus adiuuit intelligentiam quã impediuit, si modò legentes nõ sint negligentes. Nam nonnullas obscuriores sententias, plurium codicum sæpe manifestauit inspectio. Hæc Augustinus. In his igitur verbis si Aug. audet asserere, etiam vulgatissimorum & infimorum versiones, qui mox vt in manus eis venit codex Græcus, vel tenui vtriusque linguæ cognitione vertere sunt ausi, plus adiuuisse quàm impediuisse diligentium lectorum studia, absit vt editiones virorum istorum, (quos in vtraque lingua non mediocriter orbis habet & celebrat eruditos) nihil vsquam, rectè & cum iudicio vtentibus, conferre dicantur. Eatenus igitur sicut nec improbo nec damno laborantium sudores, ita nulla prorsus ratione assentior hominibus adulatoribus, & nimium impensè suis fauentibus, qui horum occasione nouorum, vetera quærunt supprimere, ac tot iam seculis probata improbè conculcare. Quę restamet si

sim in secularibus disciplinis possit tolerari, certè in re fidei sine communi Ecclesiæ consensu atque iudicio, fieri haud quaquam, aut potest aut debet. Honorandi quidem amici, & amico fauendum, & hoc libenter admittimus docti natura; semper tamen illud est obseruandum, vt ne quid nimis. Atque id rursum cum alias semper, hoc tamen in negotio potissimum cauendum est, noli nimiùm honorare, quem velis bene honoratum, alioqui in contumeliam cedit honor. Summus etenim, non cui debetur, exhibitus honor, summa ignominia est. Malè honoratur Rex si adoretur prætermisso creatore, malè honoratur Interpres, si præferatur autori. Neque item honor erit humana eruditione compositis versionibus, nullo adhuc Ecclesiarũ vsu neque patrum autoritate satis confirmatis, si absq; iudicio (ob humanę eloquentię nitorẽ, vel ob nominis eorum qui eas condiderunt celebritatem) veteri illi Latinorum editioni præferantur, quę longissimo iam vsu est ab omnibus Latinorum Ecclesijs feliciter comprobata, quæ sola plurimis iam seculis in vsu reman-

remanſit Eccleſijs: vt hac ratione piè ſatis credi atque exiſtimari poſsit, nõ humanam eam eſſe interpretationem, neque ſola humana eruditione confectam, ſed peculiarem quoq; Sancti ſpiritus afflatum adfuiſſe: cuius etiam prouida diſpoſitione factum credimus, vt in tanta diuerſitate verſionum, hæc ſola præualuerit: imo non præualuerit modò, ſed penè ſola permanſerit. Quemadmodum enim in primordijs naſcentis Eccleſiæ (Luca teſtante) fuerant plurimi, qui Euangelicam hiſtoriam texere atque conſcribere ſunt conati, & multi quidem (quantùm humana via fieri potuit) verè & diligenter, diuina tamen prouidentia factum eſt, vt ex plurimis, non niſi quatuor remanſerint à ſancta Eccleſia approbata: ita & in re propoſita probabili ſatis exiſtimatione credere licebit, non ſine ſpeciali Spiritus prouidentia factum eſſe, vt ex infinitis verſionibus, quas pro ſua eruditione ſcripturarum ſtudioſi confecerant, ſola iſta in vſum publicum Eccleſiarum Latinarum omnium (quod quidẽ ſcire poſſumus) ſit recepta, & tantis iam annorum centenarijs longiſsimo vſu comprobata

atque

atque confirmata. Et quemadmodum quatuor illa Euangelia, ab omnibus Eccleſijs vt à Spiritu autore tenentur, creduntur q; deſcripta, ita nõ diſsimile vero ſentire videbitur, qui ad hãc Latinorum Veterem & receptiſsimam interpretationem, qua omnes Latinorum vtũtur Eccleſiæ, non ſolum dicat humanam adfuiſſe eruditionem, ſed ſimul etiam ſpecialem aliquam Spiritus illuminationem & afflatum peculiarem, non quidem cum Euangeliſtis æqualem, ſed ſuo quodam modo, quantùm ad interpretationem nouit ſufficere ipſe, qui dat omnia prout vult, & quantum ad communem nouit Eccleſiæ vtilitatem (cuius gerit prouidiſsimam curam) ſufficere. Forſitan verò, parum requiri exiſtimandum eſt in Interprete, Spiritus ſancti afflatum, ſed eruditionẽ & vtriuſq; linguę perfectam cognitionem, atque verborum copiam, bonũ Interpretem cõſtituere atq; perficere. Cui rei videtur teſtimoniũ dare Hieronymus, in prefatione, quæ ſolet Pẽtateucho premitti. In qua poſtquam refutato ſeos, qui ſeptuaginta cellulas ſeptuaginta interpretum aſſerunt, in quibus diuiſi eadem prophetaſſent,

tassent, dicit. Aliud esse vatem agere, aliud Interpretem. Ibi enim spiritus ventura prędicit, hîc eruditio & verborum copia quæ intelligit transfert. Vbi & exemplum adducit Tullij, qui œconomycum transtulit Xenophontis. Erit ergo nobis his Hieronymi verbis respondendum. Principiò, constat in his verbis non velle Hieronymum negare, aflatum spiritus requiri in Interprete: alioqui, quare in fine eiusdem Epistolæ rogat, vt eodem possit spiritu transferre scripturas in Latinum sermonem, quo fuerint ab initio descriptæ, si sufficere existimet eloquentiam secularem, verborum copiam, & vtriusque linguæ peritiã? Iam enim his omnibus abundè se nouit instructũ, Rhetorico spiritu afflatum, & linguarũ peritiam in se agnouit. Quorsum ergo nihil in his fidens recurrit ad diuinum spiritum, vt eodem, inquiens, quo scripta sunt spiritu valeam in Latinum transferre sermonem, si illa sufficere credebat? Et qui ad vertendũ Oeconomicum Xenophontis existimauit sufficere spiritum Rhetoricum, quare non eodem afflatus spiritu ausus est Pentateuchum Latinè reddere, ad quem sine dubio minori esset eloquentia opus? Dicamus ergo, Hieronymum hęc argumenta (quod dici solet) ad hominem obiecisse, quo se purgaret, quod ausus est post Septuaginta aliquid audere in vertendis Hebręis voluminibus. Nam si cõtendis eum seriò hoc agere, nec Rhetoricum velis acumen attendere, quo loquendi quadam cõsuetudine, plurimùm in familiaribus literis, potissimùm autem in æmulorum refellendis obiectionibus vti solent, cõsequitur ex eius sententia, sine Spiritu sancto illos suam interpretationem confecisse. Quod ego nũquam Hieronymum secundum animi sui iudicium credo sensisse, tametsi verbis (propter excessum qui in loquendo est) nonnunquam id velle videatur: de quo supra latiùs tractauimus. Quin potius illud credendum est eos diuino spiritu afflatos, nõ solum interpretatos fuisse, sed magna ex parte etiam prophetasse, quemadmodum supra ex beato Aug. pulchrè ostẽdimus. Cum enim in plurimis nihil de Hebraica litera attingãt, & nouam prorsus, quæ in Hebræis non inuenitur, sententiam ponant, non minus spiritua

lem atque ſanctam: aut credendum eſt ſpiritu eodem, quo Originalis illa in Hebræo poſita erat, nouas eos condidiſſe ſententias, aut manifeſtę ſunt falſitatis atque infidelitatis arguendi, vt qui auſi fuerint diuinæ autoritati humana ſua intermiſcere cõmenta. Videntur enim hæc Hieronymi verba, aduerſus Auguſtinum aut illi conſentientes dirigi, qui Septuaginta Interpretum maximi faciens interpretationẽ, nõdum agnoſcens Dei donum, quod per Hieronymi laborem Eccleſijs fidelibus, dare diſponebat omnipotẽs, ſuperuacaneum, imo & temerarium reputabat, poſt tam vnanimem Septuaginta Interpretum cõſenſum, vt vnus aliquis homo innouare auderet, quod tantus firmauit tot virorum vnanimis conſenſus, quos ipſe exiſtimabat diuiſim in cellis ſingulis ſuam interpretationem confeciſſe; ſic tamen, vt nihil in vnius codice inueniretur, quod non ſimul & in alterius: quod ſicut piè à nonnullis credebatur, ita nulla poteſt ſufficienti autoritate aut euidenti ratione conuinci, imo econtrario ex Ariſtea regis Ptolomæi Hyperaſpiſte, & Ioſepho, magis videtur habere contrarium: rium: eos videlicet in Baſilica ſimul contuliſſe, non diuiſim prophetaſſe. Atque hoc erat quod ſua ratione Hieronymus ſtudet oſtendere. Sæpe enim quando cũ aduerſario agimus, videmur à non intelligentibus veritatem arguere, quando nihil niſi rationum inefficaciam demonſtramus. Qui igitur ex parte hac Hieronymianę autoritatis, tẽtauerit cõficere, ſine Spiritu ſancto ſufficientem eſſe eruditionem & verborum copiam, cõferat finem Epiſtolæ & colliget, Hieronymum non exiſtimaſſe, ad dignam faciendam interpretationẽ hoc, ſibi ſufficere, qui inſuper Spiritus ſuper omnia poſtulat auxilium. Nunc (inquit concludens) te deprecor Deſyderi chariſsime, vt qui à me tantum opus ſubire feciſti, & à Geneſi exordiũ capere, orationibus iuues, quò poſsim eodem ſpiritu, quo ſcripti ſunt libri, in Latinum eos transferre ſermonem. Confirmat, quod idem Hieronymus in Cõmentarijs ſuper Epiſtolam ad Gal. cap. primo, exponens illũ locũ, Non ab homine accepi illud, ſed per reuelationem, ponit his verbis, Omnis qui Euangelium alio interpretatur ſpiritu & mente quã

ſcriptum eſt, credentes turbat, & conuertit Euangelium Chriſti, vt id quod in facie eſt, poſt tergum faciat, & ea quæ poſt tergũ ſunt, vertat in faciem. Si quis tantùm literam ſequi tur, poſteriora ponit in faciem. Iam ſi quis ſola eruditione & verborum copia interpretari tentet ſcripturam, quid amplius poteſt quàm literam ſequi, ac proinde poſteriora in faciem ponere? Nam ad ſcripturę latentes ſenſus, nõ pertingere poteſt ſecularis eruditio. Et poſt pauca ſubiungit. Marcion & Baſilides & cæteræ hęreticorum peſtes, non habent Dei Euãgelium, qui non habent Spiritum ſanctum, ſine quo humanum fit Euangelium quod docetur. Nec putemus, in verbis ſcripturarum eſſe Euangelium, ſed in ſenſu: non in ſuperficie, ſed in medulla: non in ſermonum folijs, ſed in radice rationis. Hæc ille. At, qui Spiritus ſancti negat requiri afflatum in ſcripturarũ interpretatione, humanam facit ſcripturam, quam ſine illo tentat interpretari: quando & quod docetur Euangelium non iam diuinum eſt ſine illo, ſed fit humanum. Et profectò ſi in verbis, in ſuperficie, in ſermonum folijs eſſet Euan-

Euangelium, poſſet vtriuſque linguę peritus, ſola eruditione & verborum copia per ſe eſſe ſufficiens. Quia verò in ſenſu, in medulla, in radice rationis latet Euangelium, conſtat hęc ſicuti à ſpiritus pendent afflatu, ita Euangelij interpretationem, aut ſanctæ ſcripturæ, ſine illo non recte fieri. Vnde & ſubiungit, Grande periculum eſt in Eccleſia loqui, ne fortè interpretatione peruerſa, de Euangelio Chriſti fiat hominis Euangelium. Et in eodem loco, Tũc ſcriptura vtilis eſt audientibus, cùm abſque Chriſto non dicitur, cùm abſque patre non prophetatur, cùm ſine Spiritu nõ eã inſinuat ille qui prædicat. Neque igitur ſine periculo eſſe poteſt, ſi quis ſine Spiritus afflatu Eccleſiaſticas tentet conuertere ſcripturas. Forſitã enim plurima quæ humano capi valẽt ſenſu, humana poterit interpretari ſufficientia. Sed verendum eſt, ne vbi abditi ſunt ſpiritualium ſenſus myſteriorum, ibi humanam (hoc eſt ſuã) nõ diuinam faciat ſcripturam. Dicamus ergo, quæ ſunt humano ſpiritu ſcripta, ſpiritu humano legi, ſpiritu humano intelligi, ſpiritu humano interpretari, ſpiritu humano

verti poſſe, ab eo, qui eruditionem modò habuerit & verborum copiam. Et ſic ſanè Tullius ad OEconomicum Xenophontis vertendum, nihil opus habebat ſpiritu diuino: neque eo doctiſsimus Hieronymus ad eiuſmodi aliquid audendum opus habuiſſet. Quæ verò ſpiritu diuino ſcripta ſunt, vt digna ſit interpretio, ſicut ſpiritu diuino legi, ſicut ſpiritu diuino intelligi, ita ſpiritu diuino videntur debere interpretari. Nam ſi (vt Hieronymus ait) quę meliùs intelligimus, meliùs & proferimus, in dubiè quæ omnino non intelliguntur, difficilè fuerit interpretando rectè proferre. Quis autem per ſolam vtriuſque linguæ, etiá quam tamcunq; cognitionem, ſe putet (niſi per Dei ſpiritum) ſcripturarum intelligentiam poſſe cõprehendere? Videtur ergo ei qui dignam debeat interpretationem facere, Spiritus ſancti afflatũ eſſe neceſſarium: qui interpretãtis infidẽs menti, ſuo eã habet cœleſti lumine illuſtrare, vt ſpiritualem germanamq; intelligentiã, quãtùm oportet, ipſe capiat, deinde intellecta, aptis ſermonibus de idiomate in idioma tranſponat: & ita quidem interpretantis mentem dirigere, vt nulla phantaſia in ſententias deuias, & à ſcripturę veritate alienas raptus aberret. Qui niſi adfuerit, facillimè interpres, quantumuis vtriuſque linguæ peritus, aberrabit à primarij ſcriptoris ſententia. Plerumque enim (quemadmodum ait beatus Aug. lib. 2. de doctrina Chriſtiana) ex ſigno ambiguo linguæ præcedẽtis, id eſt, eius de qua fit cõuerſio, interpres fallitur, cui non benè nota ſententia eſt, & eam ſignificationem transfert, quę à ſenſu penitus aliena eſt, quemadmodũ exemplo declarat, de eo quod in lib. Pſal. ſcriptum eſt, Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Vbi cum Græcè habeatur ὀξεῖς oxis, nomen ambiguæ ſignificationis, potens vel velocem vel acutum ſignificare, quędã tranſlatio acutos pedes verterat, alia veloces. Quorum interpretum, eum quidem, qui veloces verterat, dicit rectam vidiſſe ſententiam: illum autem alterum, ancipite ſigno in aliam partem raptum, dicit erraſſe. Hanc verò deceptionem quis non poterit facillimè, quantumuis in vtroque idiomate peritus, perpeti? Neque enim ab iſto periculo quemquam

poteſt ſecularis eruditio, & vtriuſque linguæ perfecta cognitio, liberare. Eſtò, plurima forſitan ſine offenſione transferre poterit, qui ſufficienti linguarum cognitione inſtructus, attentum animum cum labore adhibuerit: multa forſitan aptiſsimè poterit dicere. Sed illic verendum eſt, vbi ſpecialis aliquid difficultatis occurrerit, quòd ancipitem poſsit efficere ſententiam, ne tum directore carens, ab eo quod rectum erat, & de ſcripturæ ſententia deflectens, ſectetur deuia, & quæ non ſunt veritatis ſcripturarum. Quæ verò de Spiritus ſancti præſentia & afflatu iam diximus, nemo ita nos putet requirere, quaſi cenſeamus damnandas eſſe & nulli vſui aptas verſiones, quas donat hominum vtriuſque linguæ peritorum diligens ſtudium. Loquimur enim de interpretationibus talibus, quibus publica autoritas dari poſsit, & quibus tutò in fidei rebus fidi poſsit, quibus in teſtimonijs & in diſceptationibus fidei, ſecurè vti atque inniti poſsit Eccleſia. Eas autem, quæ ab hominibus linguarum peritis, humano ſtudio fiunt, ſupradiximus in priuata

ta collatione plurimùm conferre, modò debita id fiat & humilitate & diligentia, vti ſupra diximus. Tametſi enim non niſi quatuor Euangelia, nobis tenenda præceperit Eccleſia, velut à Spiritu ſancto deſcripta, neque quæ extra hæc ſunt eandem habeant autoritatem, cum quatuor iſtis, quæ ſuſcepit in publicum vſum ſancta Eccleſia, neque conſimilis eis debeat fides haberi: non ſunt tamen cætera omnia, quæ humana conſcripſit hominum diligentium ſagacitas, prorſus lectu indigna, neque ad nihil proficua, modò abſit falſitas. Non enim dubium erit, quin collatione cæterorum Euangeliorum, quæ humana conſcripſit ſiue induſtria, ſiue diligentia, quatuor illorum quæ à Spiritu ſancto deſcripta ſuſcepit ſancta mater Eccleſia, maior & perfectior haberi poſsit in plurimis intelligentia, & plenior cognitio veritatis: cum pleraque quæ in his vel breuiùs vel contractiùs dicta ſunt, in illis fuſiùs, apertiùs, aut explicatiùs inueniri poſſent. Tamen quia quatuor iſta ſola, ab Eccleſia recepta ſunt, & debita autoritate firmata, ſi quid in alijs illis, quæ

extra hunc quaternarium ſunt, variare contingat, confirmatæ horum veritati ſine hæſitatione oportebit cedere ea, quæ autoritatem non habent. Conferri ſiquidem hęc cum illis poſſunt, præferri non poſſunt. Ad eundem modum, non aſſerimus in prædictis, ita in Interprete requiri Spiritus afflatum, quaſi nulla ſit alia vtilis, ſiue ad legendum, ſiue ad conferendum, niſi quæ Sancti ſpiritus fuerit afflatu confecta, aut quaſi reijci debeat quicquid hac in re per ſeculi eruditionem & linguarum peritiam, humana laborat induſtria. Si tamen eam interpretationem, quam veriſimile eſt Sancti ſpiritus prouidentia Eccleſijs Latinis, in ſtabilimentum orthodoxæ doctrinæ, & catholicorum dogmatum defenſionem, veritatiſque cuſtodiam ſingulari beneficio eſſe donatam, dixerimus non debuiſſe ſola humana eruditione fieri, ſed ſpiritus inſuper opus fuiſſe afflatu, quo talis fieret, cui tutò fidi & ſecurè inniti poſsit Eccleſia Latina, arbitror nihil nos cõtra pietatem, hac in parte aſſeruiſſe. Cæteris autem verſionibus, quas humana (quantùm quidem ſcire poſſumus) eruditio ſtudioſè confecit, ſiue confecerit adhuc, ſatis nos dare putamus, cùm tales eas aſſerimus, quarum collatione illa Eccleſiaſtica interpretatio, ijs modis quos ſupra diximus clarior poſsit fieri & intelligibilior. Necdum verò ſatisfactum eſt ijs, quos offendit in interpretatione Vulgata ſermo rudis & incompoſitus, ſiue (vt ipſi volunt) horridus & ſordidus, barbariſmis eam & ſoloeciſmis plenam conquerentibus, vt meritò hac de cauſa, videatur innouatione prorſus indiguiſſe. Cum enim plurimi à ſacris literis conſpiciantur abhorrere, propter ſermonis inelegantiã, videtur hoc perquàm vtile ac neceſſarium, vt eloquentiori ſtylo & dictione magnificentiori ipſę adornentur, quò vel ſic magis multi ad eas perlegendas alliciantur. Et abſurdum videtur, vt propter Interpretis ruditatẽ à ſacris literis auertantur, qui nihil amant quod non ſit venuſtate ſermonis cõditum. His verò pro ſuarum querimoniarum ſatisfactione, triplicem diſtinguimus eloquentiam. Eſt enim carnalis quædam eloquentia blandiloqua & aſſentatoria, mollis atque fœminea, quę ex lum

bis potiùs carnis, quàm ex ſpiritu Dei ortum habet, & carnales homines atque muliebres viros plurimùm oblectat. Eſt alia eloquentia non æquè vt prior Venerea, ſed magnifica, ſublimis, & grandiloqua, mira maieſtate verba trutinans, orationes librans, miris adornata humanis affectibus. Qua ſermonis forma, vſi ſunt ſapientes huius ſeculi, ad ſuam admirabilem ſapientiam ſic obſcurè deſcribendam, vt quàm pauciſsimis eſſet acceſsibilis. Hæc eſt illa verbi ſapientia atque ſermonis ſupereminentia, in qua ſapientes mundo ſua dogmata magnificè tradunt, quæ crucis Chriſti humilitatem euacuat, quam ſe Paulus neſcire gloriatur, quam ipſe deſpiciens, huius ſeculi principibus reliquit. Eſt autem hæc, priori aliquantò magis maſcula magiſque virilis, atque eò quidem ſuperbior & ſupereminentior, quò velut in ſublime eleuata, illam alteram præ nimia mollicie, quaſi infimam deſpicit. Nam & Plato, ab ea quam ipſe inſtituit Republica, Poëtas voluit eſſe exules. Verùm æterna patris ſapientia veniens in mundum, nec hanc nec illam elegit, ſed tertiam quandam nouus Philoſophus, imoverò nouus Sophus & nouus magiſter, nobis demonſtrauit credentibus in eum. Hæc eſt ſimplex illa & caſta, humilis & modeſta, mitis & benigna, ſeuera & amabilis, munda & nitida eloquentia, qua & ipſe eſt in carne nobiſcum locutus, & ſuos item diſcipulos loqui voluit. Non enim verba patris curauit filius in ſermonis claritate atque magnificentia proponere ouibus, ad quas miſſus erat perditis filijs hominum, facturus haud dubiè, ſi id iudicaſſet ad claritatem cœleſtis doctrinę pertinere. Cùm enim nihil illi tam fuerit cordi, quàm verba quæ ſibi pater dederat clarificare ac honeſtare, non omiſiſſet æterna ſapiẽtia, in ſermonis ſupereminentia patris, doctrinam prędicare atque docere, ſi vllo pacto hoc exiſtimaſſet ad eius gloriã pertinere. Duplex illa prior eloquentia adeò ad ſcripturas non eſt accommodanda, vt etiam plurimum obeſſe credatur ſanctę intelligẽtiæ & Spiritui ſancto præſtare impedimentum: vt prorſus ſit hac ratione ad eas inhabilis, quę mille ſeculariſ ac noua oblectat eloquentia, ſiue fœminei ſiue magni-

magnifici ſermonis. Quemadmodum enim prudentia carnis, pariter atque ſeculi ſapientia aduerſantur Deo, ita indubiè & carnalis altera, altera ſecularis atque pompoſa eloquentia. Vnde occulto conſilio ſuo, ad prædicationem Euangelij, elegit Deus non prudentes neque ſapientes huius ſeculi, quoniam in his reperit obſtaculum ſuæ gratiæ, illàm ſecularem ſapientiam, quæ ſic ex oppoſito ſimplicitati diuinæ ſapientiæ eſt contraria, vt nigredini albedo: vt qui illam haberent mundanam ſapientiam, velut contraria diſpoſitione diſpoſiti, ad veram illam & ſuperbenedictam capiendam prorſus eſſent inepti & inhabiles: qui verò hanc nihil attigiſſent, velut Apoſtoli illi piſcatores, qui ab eloquentia ſeculari atque ſapientia, prorſus erant immunes, hos ſibi aptiſſimos Spiritus ſanctus elegit, in quibus ſuæ ſapientiæ atque eloquentiæ, & omnium charismatũ primitias abundè infunderet: ita vt vniuerſus, de illorum abundantiſsima ſapientia gauderet participium ſumere. Erant nimirum hi velut tabulæ raſæ, vt in eis deſcribere poſſet liberè Spiritus ſanctus pro ſuo placito: illi e contrario malè plenè. Ad eundem ſanè modum & de ſeculi eloquentia ſentiendum: nimirum eos qui in illa ampliùs oblectantur, quique in illa adhuc hærent, hoc ipſo, ad ſanctarum ſcripturarum libros legendos, & ſapientiam Chriſtianam capiendam, nõ paruũ habere obſtaculum: id quod præcipui Græcorum atque Latinorum autores apertè & palã ſuis ſcriptis varijs in locis teſtantur. Nam Hieronymi ſuper hac re ſententiam non poterit non facillimè videre, quiſquis ea quę ſuper Regis Niniuitarum pœnitentia, in Commentarijs Ionæ prophetæ ſcribit, attentè perlegerit. Habet autem in hunc modum. Calix aureus Babylon inebrians omnem terrã. Quem non inebriauit eloquentia ſingularis? Cuius non animus compoſitione verborum & diſertitudinis ſuæ fulgore perſtrinxit? Difficile homines potentes & nobiles, & diuites, & multò his difficilius eloquentes, credunt Deo. Obcæcatur mens eorum diuitijs & opibus atque luxuria: & circundati vitijs, non poſſunt videre virtutes, ſimplicitatem ſcripturæ ſanctæ non ex maieſtate ſenſuum, ſed ex verborum iudicant

cant vtilitate. Ad idem facit quod in prologo Cõmentariorum Epistolæ ad Galat. de Gaio Mario Victorino scribit, qui Hieronymo adhuc puero Romæ Rhetoricam docuerat. Occupata (inquit) mens eruditione secularium literarum, scripturas omnino sanctas ignorat. Et nemo potest, quãuis eloquens, de eo disputare, quod nescit. Quid potest dici apertius? Et id quidem ab eo qui nec illam ignorauit, & Spiritus sancti virtutem accepit. Sed videtur obsistere quòd ipse quoque Hieronymus, Cyprianus & cæteri Ecclesiæ principes, cum floruissent in eloquentia atque seculi sapientia, non sunt tamen digni habiti spiritualibus charismatibus. Intelligenda est ergo moralis illa interpretatio, qua regis pœnitentiam comparat cum eloquentium atque sapiẽtium huius seculi ad Christum conuersione. Reges enim huius mundi, intelligit sapientes huius seculi, qui velut Reges habentur hominum, de quibus sic loquitur. Perspicuum est, prædicationem Christi, huius mundi reges audire nouissimos, & depositò fulgore eloquentiæ & ornamentis ac ornatu verborum, totos se simplicitati citati dedere & rusticitati tradere, & in plebeiũ cultũ redactos sedere in sordibus, & destruere quod antè prædicarant. Proponit autem paulò post Cypriani exemplum, quem dicit de Regali solio descendisse, quando qui in tantam venerat gloriam eloquentiæ, vt Oratoriam quoque Carthagine doceret, mundicias commutauit sordibus, non sordibus sensuum, sed verborum. Hoc autem quod de Cypriano refert Hieronymus, nos conuenienter & de eo ipso & alijs omnibus ad Christianam simplicitatem conuersis, affirmamus. Ex plurimis enim hi pauciſimi ad Christianam simplicitatem, singulari Dei munere pertracti potius, quàm conuersi, mox vt cælestis acceperunt sapientiæ sacramenta, renunciantes omni seculari sapientiæ atque eloquentiæ, noluerunt vltrà his rebus cor apponere, nisi quantùm vltro subministrabat pristina cõsuetudo, atque exercitatio scientiæ secularis, quam abijcere nemo pro suo libito potens est: quemadmodum in prologo libri tertij Commentariorũ Epistolæ ad Galatas de seipso testatur Hieronymus, in his verbis, Plus quindecim anni sunt,

ex quo in manus meas nunquam Tullius, nunquam Naso, nusquamque gentilium quilibet autor ascẽdit. Et si quid fortè aliquid inde dũ loquimur obrepit, quasi antiqui per nebulam somnij recordamur. Neque Deo aptum potuit esse organum ad scripturas sanctas transferendas, insignis ille in omni seculari literatura Hieronymus, donec Quintiliani acumina, Ciceronis fluuij, grauitas Frõtonis, & Plinij lenitas, eius animum occupabant. Postquàm autem desinens esse Ciceronianus, factus est perfectè Christianus, & cœpit oblectari simplicitate diuinorum sensuum, magis quã folijs verborum, iam dignus Deo factus est minister in scripturis sacris & transferendis & explanandis. Et quò sit fides huius veritatis indubitatior, illius etiam Ioannis proferamus testimoniũ, qui ob singularẽ eloquentię gratiã, Chrysostomi hoc est aureioris meruit cognomentum. Is enim in tertio libro, quẽ de sacerdotij fecit dignitate, capit. 4. sic habet. Ego si à Sacerdote aut leuitatem socraticã, aut Demosthenis tumorẽ, aut Thucydidis claritatẽ, & amplitudinẽ Platonis exigerẽ, oporteret Apostoli cõtra me, proferre sentẽtiã, qua se dicit sermone imperitũ, sed nõ sciẽtia. Nũc verò omnia illa dimittens, eloquentiã secularẽ superfluã iudicãs nec de eloquutionibus, nec de vrbanitatibus mihi curã esse profiteor. Hactenus os illud aureũ. Hanc ergo ille si in Sacerdote non vult requiri, & superfluam iudicat, in scripturis Ecclesiasticis quis putet requirendam? Illud verò multò est amplius, quod tertio libro aduersus vituperatores vitæ monasticæ scribit, summos etiam philosophorum, eloquentiæ non voluisse habere rationẽ. Quorum de numero inducit Anacharsen, Craten, atque Diogenem, & præcipuos philosophos, & magnos eloquẽtiæ contemptores. Quo insuper in loco asserit, eloquẽtiam philosophis & viris prorsus indignã, sed ludentium tantùm adolescentulorũ certamen esse & gloriam: quemadmodũ ipsis quidẽ philosophis & summis philosophis visum fuit. Si Chrysostomus eloquẽtiã philosophis & viris, prorsus dicit indignã, pueris tãtũ ad certaminis gloriã eã cõcedẽs, cur nõ audeamus & nos viris theologis, & diuini loquis scripturis, multò eã magis esse indignã: quos ergo oblectat adhuc

ſecularis eloquentia, qui in illa gloriantur neſcientes quicquam probare cui illa deſit, omnia laudantes in quibus ineſt illa, his vetitum ſit ſimplicis ſcripturæ limina ingredi, ſtent foris, agant alia, donec humiliati diſcãt cum Cypriano, ab altitudine faſtus ſui ad ruditatem plebei ſimpliciſque ſermonis deſcẽdere. Quos offendit in ſcriptura ſermonis rudis ſimplicitas, ſimplexque ruditas, ſpes non eſt vt illis aperiatur ſenſuum maieſtas. Atque vt tãdem donari poſsit, pro puerorum exercitatione (quibus permiſit Chryſoſtomus in eloquentia gloriari atque decertare) ſcripturam ſecularieloquentia adornari, certè Eccleſiaſtico vſui hoc fieri non debet. Qua enim ſimplicitate Spiritus ſanctus Originalem ſcribi iuſsit veritatẽ congruum eſt, eadem vt de idiomate in idioma transferatur. Quæ enim erit hæc curioſa vanitas, vt maiori velit eloquentia ſuas ſcripturas legere Eccleſia Latina, quam Originalis habeat ſcriptura? Et tamen videndum eſt etiam illud, ne aſſuetipueriles animi vocum atque orationum delitijs, ne tum quidem ab eis auelli poſsint, cum adulti facti ad ſolidiorem debuerint ſimplicitatem transferri. Fit enim neſcio quomodo, vt quorum habemus conſuetudinẽ & in quibus adoleuimus non facile ea relinquamus. Nec enim filij Iſrael ollas ſuas ſuper quas ſederant in Aegypto, poterant ex animo eijcere, tametſi cœleſte illud manna & viderent oculis, & manibus colligerent, & lingua deguſtarent. Non abſimili ratione periculum eſt, ſi ab initio puerilibus animis ſacræ ſcripturę myſteria inſculpantur per ſeculariũ elegantiarum blandimenta, ne poſtmodùm contemptui habeant ſanctam ſcripturæ ſimplicitatem. Quam tamen, ſi Deus contemptibilem reputaret, potens fuerat indubiè vel magnificentiſsimo eadem ſermone contexere, quæ nunc maluit rudi contextu ſuis fidelibus ſub humilitate proponere. Nos verò pro ſcripturarum ſimplicitate, contra ſeculariseloquẽtiæ faſtum iſta differentes, nemo exiſtimet in vniuerſum eloquẽtiam damnare, aut eam in omnibus negligendã ſiue fugiendã velle ſuadere: ſed hoc tantũ mõſtratũ cupimus, & perſuaſum optamus, in Eccleſiaſticis ſcripturis, in quibus ſimplicitas ſola requiri debet veritatis, elo-

quẽtiæ ſecularis nonadmodũ habendá eſſe rationẽ: neq; ſimplicitatẽ atque ruditatẽ, in qua Deus voluit ſenſuũ myſteria humiliter & ipſe proponere per filiũ ſuũ, & ab Euangeliſtis recõdi in ſcripturis, debere ob puerorũ atq; ſecularium hominũ affectiones aut imminui, aut mutari, aut auferri. Quaſi ſcripturæ aptãdæ ſint hominum affectibus, & non magis ad illas ſe debeat quiſq; accommodare? Et caueri optamus, ne dum nimis volumus omnes ad ſcripturas allicere, aut illas ſuo natiuo ſpoliemus ornatu, meretricium ſuperaddentes cultum, aut etiam margaritas ante porcos ſpargamus ſanctumq; exhibeamus canibus. Indignus eſt enim ſcripturarum ſanctarum beneficio (quo non eſt aliud neq; prius neq; potius fidelibus à Deo datum) qui ſe recuſat per humilitatem illius ſubdere ſimplicicitati. Non eſt perfecta illa pietas, quæ ſe vltra Chriſti metas ſuperextẽdit, qui ad patrem loquens prædixit à prudentibus & ſapientibus huius ſeculi abſcondenda, quæ paruulis facta erant manifeſta. Ad noſtrũ nunc reuertamur Interpretem, pro cuius interpretatione latius aliquãtulũ in ſimplicitatis cam-

cãpos ſumus euagati: quẽ, ſicut ingenuè fatemur, neq; mollem illã, neq; illam ſuperbã eloquentiam hoc in opere demonſtraſſe, ita audemus dicere, in ſancta eloquentia ſimplicitatis adeò caſtè ſimpliciter, eleganter, & mundiſsimè ſuã interpretationẽ cõpoſuiſſe, vt idẽ ipſe meritò videatur Originalis ſcripturæ autor primarius, ſimul & eiuſdẽ ſcripturę interpres. Et profectò ſic mihi res habere videtur, vt vnus ſit Spiritus, qui & illos Euãgeliſtas atq; Apoſtolos impleuit primarios ſcriptores, & hãc Interpretis phraſim dictionẽq;, illorũ aptauit ſimplicitati. Quorſum enim attineret, Interpretẽ ampulloſa iactare & ſeſquipedalia verba, cũ illi in humilitate ſermonis in ſuis ſcriptis, planiori oratione incedant? Aut quorſum attineret, Interpretẽ magnifico ea filo interpretãdo texere, quæ illi quàm ſimpliciſsimis curabant ſermonibus humiliter conſcribere. De barbariſmis verò & ſoloeciſmis, quibus ſcatere aſſeritur Vetus interpretatio, credo facilè videbit iuxta veritatem longè aliter rem habere, quiſquis pio animo ac diligenti ſtudio, ſubſecuturas noſtras collationes perle-

gerit. In eis ſiquidem (Dño donante) patebit, quemadmodũ plurimis in locis veteri Interpreti varij adſcripti ſint, etiã à magnis, prodigioſi ſoloeciſmi & fœdi barbariſmi, à quibus tamen illum veritas expenſa facit monſtratque liberrimum. Poſſemus exemplis adductis facile clarum facere, quod dicimus: ſed quid opus eſt ea quæ poſt dicenda ſunt inutili replicatione anteuertere? Deinde & illud aduertendum eſt, ſoloeciſmum atque barbariſmum ſecundum varias conſiderationes accipi poſſe. Siquidem ſoloeciſmus (teſte Aurelio Auguſt. lib. 2. de doctrina Chriſtiana) nihil aliud eſt, quàm cum verba nõ ea lege ſibi coaptantur, quæ coaptauerunt, qui priores nobis, non ſine autoritate aliqua locuti ſunt. Barbariſmus verò non aliud eſt, niſi verbum non eis literis vel ſono enunciatum, quo ab eis qui ante nos Latinè locuti ſunt, enunciari ſolet. Itaque manifeſtum eſt, Latinis ſoloecam orationem vel barbarum ſermonem dici, quatenus ab eorum diſcrepat conſuetudine, qui ante nos non ſine autoritate Latinè locuti ſunt. Inter eos verò qui Latinè locuti ſunt, quædam ſunt graduũ diſtantię, dũ in

in his quidem præſtantiſsimũ & eloquentiſsimum dicendi genus attenditur, in alijs elegans quidẽ illud, ſed non ita ſublimẽ neque magnificum, in alijs rurſum ſimplicior quædam, mũda tamen loquẽdi ratio: quæ tametſi cum illo exactiſsimo dicẽdi genere nõ quadret, neq; ad ſublimis illius dictionis normam poſsit examinari, habet tamen & ipſa ſuam integritatis & incorruptionis mundiciem, dum voces conectit, & ſermonẽ contexit, non ſine autoritate eorum, qui in eiuſmodi genere ita priores ſunt locuti. Atque ita fieri poteſt, vt oratio quęlibet ſiue ſoloeca, ſiue barbara æſtimetur, ſi adeorum autoritatem conferatur, qui in ea lingua ſunt præſtantiſsimi, quæ tamen collatione facta ad eos, qui priores in eadem lingua, non ſine autoritate, ſimpliciori elocutionis modo locuti fuerũt, à barbariſmo aut ſoloeciſmo abſoluetur libera. Hæc res adeò nunc his noſtris tẽporibus, in Veteri interpretatione vſu venit. Nã propter humanitatis ſtudiũ (quod antè annos aliquot mirũ in modum vigere cœpit & etiãnum apud plurimos viget) qui ex diſertis ſeculi oratoribus atque poetis ad ſacras ſcripturas

ſeſe conferunt, cùm dictionem longè diſsimilem illorũ dictioni conſpiciunt, & aliã prorſus ſiue connectendi ſiue efferendi conſuetudinẽ, qualem apud principes literaturę ſecularis inueniſſe ſe nõ meminerunt, barbariſmis omnia ac ſoloeciſmis ſcatere exiſtimant, & quicquid forſitan in ea inueniunt, quod non item apud Tullium, Liuium, Virgilium, cæteroſque oratorum atque poetarum legerint, mox ad barbariſmos & ſoloeciſmos pertrahunt: cum tamen nequaquam id conſequatur, Latinũ non eſſe, barbarum eſſe aut ſoloecũ, etiamſi apud Tullium, aut Virgilium, Plinium aut Horatium, nõ ita inueniatur. Hi enim tametſi inter Ethnicos precipui ſint ac pręſtantiſsimi, à quibus Latinæ linguæ ſublimitas, & altiſsimum quod in ea eſt dicẽdi genus peti debet, arbitror tamen & ea quæ apud Eccleſiaſticos Latinos Doctores, Tertullianum, Cyprianum, Hieronymum, Ambroſiũ, Auguſtinum, inueniuntur, non prorſus ſine autoritate fuiſſe poſita. Et plura ex his quæ in Interprete, ſiue barbara, ſiue vt ſoloeca acriter arguuntur, eiuſmodi ſunt quę in ſupra dictis Latinis ſcriptoribus

ad

ad eundem modum poſita inueniuntur. Rurſum & illud in veteris Interpretis excuſationẽ oportunum erit, quòd ferè videamus veteres ſcriptores in nonnullis tolerari, & cuilibet penè autori, ſua quædam peculiaria donari, quibus præter autoritatem priorum, ſuo quodam iure videtur abuſus. Multa in Irenæo ferimus, multa in Tertulliano, nonnulla in Cypriano, nonnulla in Hieronymo, in Aug. quædam, neq; pauca in Ambroſio: quibus ita peculiariter quiſq; ſuis vtuntur ſinguli, vt priorum eiuſdẽ linguæ autoritatẽ non facile fuerit adducere. Neq; igitur grande erit, ſi veteri noſtro Interpreti (quem ante Hieronymi, Ambroſij atque Aug. tempora fuiſſe ſatis conſtat) in nonnullis concedamus, & ad quædam quæ forſitan in eo videri poſsint præter autoritatẽ poſita, velut cõniuẽtes. Quę verò minutiſsima ſunt ciuilitatis noſtræ fuerit (ſi quæ talia forſitã occurrãt) vt ſcribarũ inſcitiæ, aut corruptorũ temeritati potiùs imputemus. Nec enim in primarios ipſos autores minima quęq; erratula ſtatim cõijci, vel ciuilitas, vel ratio patitur. Deniq; & hoc certiſsimũ eſt ijs, q ſcripturas in Origina

li

li idiomate ſoliti ſunt euoluere, primos illos ſcriptores Apoſtolos & Euangeliſtas nõ omni no eſſe in ſuis ſcriptis à ſolœciſmis liberos. Res enim manifeſtior eſt ijs, qui in ſcripturis verſati ſunt, quàm vt negari poſsit. Si igitur ſubinde ſolœcizare permittit Apoſtolos ſuos Spiritus ſanctus, vel ob affectus exprimendã vehementiam, vel humilitatis gratia, vel vt delicatis ac ſuperbis huius ſeculi, ſua ſancta præcludat, aut alia quauis de cauſa, quam nouerit ipſe, Interpreti curis minuat autoritatem, quod in Apoſtolis non deprehenditur? Forſitan enim ſi tentet Interpres ſermonis Originalis vitiũ in ſuo idiomate perficere, graue admittet aliunde peccatum. Sed illic barbariſmos debet Interpres aut ſolœciſmos, vbi Originalis lectio nõ habet: neq; erarò nouis atque confictis vocabulis vtitur & inauditis Latinis auribus. Id quã quam nõ ita facile, neq; ita in promptu ſit offẽdere, vt aſſerere, cum manifeſtè videamus plurimis in locis Interpreti falſò iſtiuſmodi adſcribi: tamẽ vt hoc donemus alicubi cõtigiſſe, nũquid conſequẽs ſtatim exiſtimabimus, vt hanc ob cauſam in ſua intpretatione Spiritu ille nõ fuerit inſtructus, ductus atque directus? Pari haud dubiè conſequentia conficietur, neque Apoſtolis neque Euangeliſtis Spiritum dei adfuiſſe, cum in eadem culpa (ſi id culpa eſt) manifeſtè deprehendantur. Non eſt igitur valida hæc conſequentia: quoniam ille ſpiritus qui Apoſtolos permiſit ſcribendo ſolœcizare, ſinere potuit, multò potioribus de cauſis, vt alicubi minus aptè, minuſq; congruè ad Latinũ ſermonem redderet Originalem lectionem, ne dum nimium fugeret ſermonis vitium, in ſententię incideret incommoditatem. Id quod ſubinde conſtat euenire ijs, quibus nimium curæ eſt ſermonis incommoda declinare, aut ſuperfluum ornatum ſectari, non ſine ſententiæ detrimento. Difficiliùs ſiquidem eſt Interpreti, ſui ſermonis in interpretando vitia fugere, quàm primario ſcriptori: quoniam ſicut hic nulli alligatus primariæ ſcripturæ, Originali lectioni adhærere debet, & ab ea, quàm minimum fieri poteſt, diſcedere: & nonnũquam, ne aut plus aut minus ponat interpretatio quã Originalis habeat ſcriptura, ſermonis incommodum debet ſententiæ veritati poſtponere.

Quæ

Quę res inſuper cogit Interpretẽ, nouas & in conſuetas ſuo idiomati voces ſubinde cõfingere, cauſa exprimẽdæ proprietatis, quę eſt in peregrino ſermone, quemadmodum atteſtatur Hieronymus in Cõmẽtarijs ſuper Epiſtolã ad Galat. de vocabulo reuelationis, quod in ea ſignificatione nec Græcis quidem autoribus fuit in vſu, ſed eſt ſcripturæ proprium. Nam ſi Apoſtolis licet primarijs ſcriptoribus, nouę rei nouam confingere vocem: cur id negetur Interpreti, ad exprimendam Originalis lectionis proprietatem? Subiungamus verò quæ inibi ſequuntur Hieronymi verba. Si (inquit) hi qui diſertos ſeculi legere conſueuerunt, cœperint nobis de vilitate & nouitate ſermonis illudere, mittamus eos ad Ciceronis libros, qui de quæſtionibus Philoſophiæ notantur, & videant quanta ille neceſsitate compulſus ſit, tanta verborum portenta confingere, quæ nunquam Latini hominis auris audiuit: & hoc cùm de Græca (quę vicina eſt) in linguam transferret Latinam. Et tamen multò pauciora ſunt, quæ in tantis voluminibus ſcripturarum nouitatem ſonent, quàm illa quæ ille in paruo opere congeſsit. Ecce Ciceronis exemplum, ecce Hieronymi autoritatem, quæ propter exprimendã peregrini idiomatis proprietatem, docent non rarò noua effingenda vocabula. Quod verò in vertendo vetus Interpres Græca ſchemata nonnunquam reliquerit immutata, tametſi Latinis auribus ſatis inconſueta, id exiſtimandum eſt, eadem ſiue neceſſitate, ſiue vtilitate illum admiſiſſe. Nam ſicut voces ſunt earum conceptionum, quas in mente tenemus, notæ, mentis cõceptum ſignificantes: ita orationis ſchemata, ipſa plerumq; earum affectionum quę ſunt in animo viuida quædam ſunt & efficaciſsima iudicia: ita, vt non minus peccatum habeat Interpres omittens orationis vehementiam, aut quemlibet affectum exprimere, quàm ſi vocis alicuius prętermittat reddere ſignificationem. Et ſicut Interpreti curæ eſſe debet, ne propter ſermonis ornatum quicquam omittat, imminuat, aut diuerſum ponat, niſi aut neceſsitate cogente, aut pia admodùm vtilitate ſollicitante; ita curæ eſſe debet volenti benè interpretari, vt nihil quod ad affectus exprimẽdam quamlibet

paruo

quali-

qualitatem pertinet, propter ſermonis obſeruationem omittat. Pluris ſiquidem interpretanti eſſe ſententiarum fructus debent, quàm verborum folia. Quapropter boni ſunt illi ſoloeciſmi vt videtur, quibus exprimitur perfectè Apoſtolorũ aut Euãgeliſtarũ prima ſentẽtia, & meliores haud dubiè illis elegantijs, quibus quoquo pacto minùs redditur ſententia. Facit ad ea quæ ſupra diximus, beati Auguſtini teſtimonium, libri ſecũdi de doctrina Chriſtiana cap. 13. in hunc modum ſcribentis. Non ſolùm (inquit) verba, ſed & locutiones ſæpe transferuntur, quæ omnino in linguæ Latinę vſum, ſi quis conſuetudinem veterum qui Latinè locuti ſunt tenere voluerit, tranſire non poſſunt, quæ aliquando intellectu nihil adimunt, ſed offenduntur tamen eos qui plus delectantur rebus, cùm etiam in eorum ſignis ſua quædam ſeruatur integritas. Et interpoſita barbariſmi atque ſoloeciſmi definitione, ſubiungit, Quid eſt ergo integritas locutionis, niſi Latinæ conſuetudinis conſeruatio, loquentiũ veterum autoritate firmata? ſed tamen eò magis inde offenduntur homines, quò infirmiores; & eò ſunt infirmiores, quò doctiores videri volunt, non rerum ſcientia qua ædificamur, ſed ſignorum qua non inflari difficile eſt: cum & ipſa rerum ſcientia ſæpe ceruicem erigat, niſi dominico reprimatur iugo. Quid enim obeſt intellectori, quod ita ſcriptum eſt, Quæ eſt terra in qua iſti inſident ſuper eam, ſi bona eſt, nequamve? & quæ ſunt ciuitates in quibus ipſi inhabitant in ipſis? Quam locutionem alienæ linguæ magis eſſe arbitror, quàm ſenſum aliquem altiorem. Illud etiam quod iam auferre non poſſumus de ore cãtantium populorum, Super ipſum autem floriet ſanctificatio mea, nihil profectò ſententiæ detrahit: auditor tamen peritior mallet hoc corrigi vt non floriet, ſed florebit diceretur. Nec quicquam impedit correctionem, niſi conſuetudo cantantium. Iſta ergo facilè contemni poſſunt, ſi quis ea cauere noluerit, quæ ſanè intellectui nihil detrahũt. Hactenus Aug. verba. His ergo pro Eccleſiaſtica Latina editione Noui Teſtamenti ita præmiſsis, & ſua probabilitate, prout in argumento probabili eiuſmodi fieri potuit, confirmatis, obſecro eos

qui hos noſtros labores inſpecturi ſunt, vt eo animo benignè accipiant, quo à nobis ſunt, nõ quidem in vllius hominis odiũ vel calumniã, ſed pro vetuſtatis defenſione & veritatis eluci datione diſputata. Si cui aliter in quibuſdam videbitur, non obſiſtimus neque prohibemus, quin illi aduerſum nobis liceat ſentire. Quæ diximus pleraque talia ſunt, quibus neceſſe non eſt fidem dari, niſi quantùm affectus pietas, vel rationis probabilitas ſuaſerit. Nõ ſum equidem neſcius, fore quinos iſta contentionis ſtudio afferuiſſe exiſtimabunt, qui ad ſtruendam calumniam nouis aliorum editionibus laborem noſtrum putabunt deſudaſſe: ſed qui habitat in excelſis & nouit omnia Deus, quique renes ſcrutatur & probat corda filiorum hominum, ipſe agnoſcit: neq; dubito quin intelligent etiam ij, qui pio animo ſine priuati affectibus noſtra lecturi ſunt, rem longè ſecus quàm illi arbitrentur, habere. Non erat ſanè nobis hoc odioſo & verè laborioſiſſimo negotio opus, ſi ea quæ in veterem Interpretem ita fœdè, ita viliter, ita abiectè dicuntur à noſtri temporis hominibus, in viuentem carne ho-

hominem iacerentur. Potuiſſet enim ipſe ita, facilimè ſe tueri atque defendere. Neque enim dubito is, cuius eſt Vetus hæc & Eccleſiaſtica editio, ſi in carne adhuc nobiſcum degeret, videretque ea quæ in ſe nunc vndequaque vibrantur reprehenſionum atque taxationum iniquarum iacula, & libitum illi eſſet viuentium vacare contentionibus, minimo negotio pleniſsimè reſponſurum, atque per omnia facturum ſatis. Nunc verò ille à nobis abijt, ac feliciter obijt, & in pace dulci potitur quiete, Redemptoris aduentum expectans, neque illi libitum eſt ad noſtras vltra reuerti miſerias, neque viuentium, vel tãtillum, cõmoueri calumnijs poteſt. Aduerſus mortuum, tot ſeculis magno honore ab Eccleſia Latina habitum, varię nunc multipliceſque accumulantur indignæ reprehenſiones, & varijs vndequaq; telis, poſterorum audaci licẽtia impetitur, & deperit prẽter omne meritum venerandæ antiquitati ſuus honor, veritati minuitur ſua gloria: & quæ olim patribus Deus in magnum dedit beneficium, malè poſteris veniunt in contemptum.

Ego verò ſanctæ Eccleſiæ (cui ille laborauit) humilis tantùm particula, amore patris ęterni, & filij eius benedicti, & ſpiritus benigni, ſecundum gratiam quam mihi dominus puero ſuo & dedit ex parte & (vti confido) donabit amplius, ſtatui in animo meo, ijs quæ ſanctiſsimo pariter atque veriſsimo Interpreti vndiquaque obijciuntur, congruis adhibitis reſponſionibus, partim quidem re ipſa & ratione, partim ex patrum probatiſsimorum autoritate, pro mea tenuitate, vtcunque reſpõdere, ſi non prorſus dabitur ſatisfacere. Illud tamen initio huius decertationis proteſtans, ſicubi mea paruitas defecerit, nolle meum errorem, meamque craſſam inſcitiam, illius quicquam derogare autoritati. Quis enim ego aut quæ facultas ingenioli mei, quæ ſpiritus virtus in me eſt, vt illius audeam loco ſtare, velut propugnator aut patronus, cui ego meſa teor indignum calciamenti corrigiam ſoluere, & cui forſitan digni nõ ſunt, vel lingua vel calamo, vlla ex parte anteferri, qui aduerſus ipſum fruſtra agunt? Scimus quidem quàm facilè ſit cum vmbris digladiari, quæ feriẽte

non referiunt: ſcimus inſuper quàm ſit facilè aduerſus mortuos cauſam agere, qui pro ſe loqui neſciunt inter mortales. Sed nec hoc latet, quàm ſit vile & inglorium, aduerſus eorum memoriam ſuperbè inſurgere, quos conſtat dum in viuis agerent, ſingulari eruditione ac ſanctitate conſpicuos extitiſſe, atque etiam apud poſteros retro actis ſeculis in veneratione habitos fuiſſe. Maior enim debetur honor feliciter mortuis, quam ijs, inter quos quotidiana conuerſatione & carnali præſentia diuerſamur. Equidem ingenuè fateor & libenter admitto, multis in locis aut Hieronymũ, aut Ambroſium, aut Auguſtinum, aut recentiorum alios aliquos, ſiue Græcam proprietatem, ſiue emphaſim plenius explicaſſe, aut Latinam elocutionem magis integram reddidiſſe, aut commodiùs nonnulla poſuiſſe. Nimirum & Euangeliſta alius alio rem ſcribit pleniùs, & perfectiùs quod geſtum eſt loquitur. Neq; rurſum diffiteor, in plurimis rectè admirari multos, cur hoc aut illud ſic aut ſic verterit. Sed expedit vt aduertamus, nõ omnia ſine cauſa dicta aut facta, quorũ nos latent ratio-

nes. Illudque apud ſe penſitent qui ſic inuidioſè mirantur: ſi valet vtcunque reſpõdere obiectis, aut admirationibus cauſam reddere noſtra paruitas, quibus tandem modis reſpondiſſet vir ille tam inſignis eruditionis, tam exacti iudicij, tam magnificæ æſtimationis apud Eccleſiam ſanctam Dei, vt meritò illi etiam Hieronymiana ceſſerit autoritas. Inimici noſtri, ipſi ſint iudices. Inimicos dico, quatenus ad præſens ſpectat negotiũ, aduerſantes. Nimiũ facilè, artis cuiuſlibet prorſus ignarus, vel eximij artificis opus poteſt calumniari, & errata ab alijs, lynceis quilibet oculis perſpicit. Nam & Apelles ipſe ſi coram me imaginem depinxerit, non deerit quod in eius opere peccatum demonſtrem: atque fortè peccatum deſit: attamen aliquid inueniam, quod in calumniam traham. Illius tamen artis adeò ſum ignarus vt vix qualemcunque ſemicirculum valeam deſcribere. Non ergo ſtatim melior debet interpres haberi, qui in aliorum opere aliquid potuit demonſtrare, aut minus aptè, aut non ſatis iuxta ſenſum ſuum propriè redditum, vel demonſtrata corrigere: ſed vniuerſum opus operi, & corpus corpori debet comparari. Si enim (prohibente Domino) non licet ſecundum faciem iudicare, multò minus licebit ex vnguicula vna iudicium proferre: præſertim in re tanta, tam veteri, tam approbata, tam benè tamque feliciter vulgata. Si tamen contingat aliquando, vt mater Eccleſia orthodoxa, ſepoſito Interprete vetere, alium quempiam, ſiue mortuum, ſiue viuentem, ſiue adhuc naſciturum, in publicum Eccleſiarum vſum introduxerit, veteris Interpretis autoritatem & locum illi concedens, aut in illum transferens, in quo Eccleſia mihi demonſtrauerit Spiritum Dei melius operatum, tum demum erit mihi (quiſquis ille fuerit) magnus Interpres, & nouus antiquabit veterem. Interim ego cum ſancta Eccleſia Catholica, Catholicam ſcripturam & tam longo, tamque vnanimi probatiſsimorum patrum qui nos anteceſſerunt conſenſu, approbatam interpretationem Veterem tenebo, & quantum quidem in me erit, pro mea virili tueri conabor ſecundum gratiam Dei, iuxta ſanctiſsimum bene-

placitum eius: cui & nos & omnia noſtra plena fide, fortiſsima quę fiducia, in amore ſancto plenè committimus diſpenſanda, de præteritis quidem ac præſentibus bonis, gratias immortales omnium largitori agentes: pro ijs autem quæ ventura ſunt ſine intermiſsione precantes, vt propter ſanguinem pretioſum dilecti filij ſui, quo redempti ſumus, aſperſi quoque & emundati, omnia ſemper bona in nos accumulet, & dona ſua ſancta in nobis confirmet atque ſtabiliat, donec illi occurramus in gloriam ſempiternam, quam in illo die daturus eſt omnibus, qui expectant aduentum gloriæ ipſius & Chriſti filij ſui, qui cum eodem patre & Spiritu ſancto viuit & regnat, & gloriatur in omnia ſemper ſecula benedictus Amen.

Hactenus ſunt verba, quæ ad literam retulimus ex docto pariter & deuoto Titelmano noſtro. Quibus ſi adhæſiſſent Gloſſatores noui, quos ad præſens impugnamus, non prodijſſent in nouitates, tam monſtruoſè à ratione catholica exorbitantes. Sed quæ tenet illos auiditas nimia captandi auram popularem, hæc calcaria addidit illis, vt nunquam à catholicis dicta, dicerent ipſi & audirent: ſuadentes & perſuadentes ſibimetipſis, ſe tunc præclaros agere magiſtros, cùm inuiſa & inaudita nunciarent, & à Rabinorum nundinis nugarum nobis merces adueherent. Cuius gloriæ cauſa, commenti ſunt tot aniles fabulas, quales in præſentia recenſere prætermitto, vna aut altera pro exemplo recenſita. Dum interpretantur verba illa, Ecce Virgo concipiet: quæ habentur Eſai. 7. ſequentes Iudæos cœcos & obſtinatos, & ipſi cœci & vtinam non obſtinati, dicunt, hoc Eſai. vaticiniũ non eſſe de Virgine, ſed de Eſa. vxore intelligẽdum. Quam ob cauſam fingunt, vt ſolent, meras nugas, intolerabileſque ineptias & vanitates. Nam perſpicuum eſt, Deum promiſiſſe ſignum. Quod igitur ſignum & miraculum eſſet vxorem Eſaię concipere, quæ nulla ſteritate laborabat? Alij verò aſſerunt hoc intelligi de vxore Regis Achaz, quoniam videt nullum filium Eſaiæ ſalutem Hieroſolymæ attuliſſe. Et hunc filium quem Propheta prædixit fore Iudæorum liberatorem, aiunt eſſe

Regem Ezechiam, quem conſtat fuiſſe filium Achaz, admirabileſque victorias de Iudæorum hoſtibus reportaſſe. O cœcitatem hominum deplorandam. Quî fieri poterat, vt vxor Regis Achaz, conciperet & pareret Ezechiã, in ſignum liberationis Hieroſolymæ, qui iam natus erat? Lege quartum librum Reg. cap. 16. & 18. & videbis, ex annorum cõputatione, nouem annos natum fuiſſe Ezechiam, quando pater eius Achaz regnare cœpit; & hoc vaticinium fuit eo regnante. Vide quàm apertè conſtat, has horum interpretationes in officina Sathanæ eſſe conflatas. Nam intelligi hanc Eſaiæ vaticinationem, de admirabili ſacratiſſimæ Virginis Mariæ partu, præterquã quòd omnes Doctores catholici concorditer & cõſtanter id docent, apertè teſtatur D. Matheus, ſui Euãgelij c. 1. vbi ad literam hęc ſunt verba, Pariet autẽ filiũ & vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet populũ ſuum à peccatis eorũ. Hoc autem totum factũ eſt, vt adimpleretur quod dictũ eſt à Domino per Prophetã dicentem, Ecce Virgo in vtero habebit & pariet filium, & vocabis nomen eius Emanuel, quod quod eſt interpretatum nobiſcum Deus. Hęc Diuus Matthæus. Et ne te multis morer, candide lector, lege quæ magiſter Leo, & Hector Pinto, prædicto loco Eſaiæ, doctè ſatis & grauiter docent, pugnantes pro catholico ſenſu & glorioſos triumphos agentes de nouatoribus. Diſce tu, ex tam pijs autoribus matrem Eccleſiam reuereri, quæ ſacram ſcripturam & ſacramenta à Chriſto habet: & talem ſcripturam, vt linguam Dei audi, qui diuinus legiſlator etiam Vulgatum nobis impendit interpretem Hieronymum veteris Teſtamenti tranſlatorem: noui tamen ſi non per omnia tranſlatorem, ſaltem recognitorem, vt iam ex Titelmano diximus. Accipe iam alium locum, non minori veſania gloſſatum. Cantica Salomonis audent quidã ante annos noſtrę ętatis ad literã intelligere de amoribus, quos pacificus ille Rex cũ filia Pharaonis habuit: ad cuius dicti autoritatẽ, Vatabli doctrina ſe muniunt, qui vtinã è manibus noſtris in multis ablatus eſſet, aut ſaltẽ interceptus. Minitratenim arma nõnullis, vt poſthabitis Vulgatę editionis ſacris interpretibus noua ſectẽtur.

Sed

Sed de hoc iam multa ſuperiùs. Miſerè profectò errant, qui librum Canticorum putauerunt ad literam & hiſtorialiter, eſſe exponendum de Salomone, & ſponſa ipſius filia Pharaonis, allegoricè autem de Chriſto & de Eccleſia. Sic enim materia huius libri eſſet vilis, carnalis, non præſtantiſsima & cœleſtis: nec eſſet liber Propheticus, ſed potiùs amatorium quoddam carmen. Cùm tamen liber iſte ſit ſpiritualiſsimus (vt ita dicam) ac de ſynceriſſimo tractans amore, ac perfectis cõueniens; vt docet Origenes in prologo ſuper Cantica. Denique Salomon filiam Pharaonis duxit vxorem in pueritia ſua, antequàm quartum decimum attingeret annũ, vt refert Ioſephus: imo ſecundum alios Hebræorũ doctores, diù ante nec in illa ætate credendus eſt compoſuiſſe hunc librũ, ſed poſteà. Si ergo de ſe & de filia Pharaonis, illa ad literam expreſsiſſet, fuiſſet narratio rei geſtę, nõ vaticiniũ futurorũ, neq; deſcriptio ſpiritualium nuptiarum: cuius oppoſitũ ſancti & illuminati Doctores, in quibus Spiritus ſanctus habitare & loqui, & per eos Eccleſiam informare elegit, teſtantur.

Præ-

Præterea quoniam ſuper hæc Cantica Canticorum tot & tanta, à ſanctis & ſapientiſsimis viris conſcripta ſunt, vt vix alicui vacet legere vniuerſa; qui plura de his optat videre, legat noſtrum Nicolaum Lyranum, & Dionyſiũ Carthuſ. in ſuis præfationibus ad iſtum librũ. Legat verò prefationem noſtri Titelmani nũ quam pro meritis laudatam, qui inter multa quæ pientiſsimè & eruditiſsimè de hoc ſcribit, connectit quæ ſequuntur, Quare nulla ratione ferendi ſunt (inquit) imo neque audiendi, qui librum iſtum diuinum, quaſi carnalis amoris carnale epithalamion à Salomone cõſcriptũ putant, ad exprimendos affectus amoris mutui, inter ſe & ſpõſam ſuam filiam Pharaonis, quam præ alijs vxoribus vnicè diligebat. Abſit enim, vt Spiritus ille ſanctus, omnis pudicitiæ & caſtitatis amator & doctor, tam carnalia Eccleſiæ ſuę cantica deſcripſerit, aut alieno & profano deſcripta ſpiritu, eidem inter ſacra Bibliorum arcana collocarit. Quaſi verò ad alendos & prouocandos huiuſmodi impudicos amores, non ſufficiant Ethnicorũ impudica carmina, flãma & ſulphure digna.

Quaſi

Quaſi non ad prouocandam carnis libidinẽ, ſufficiant nobis, quæ molles & carnales homines per vicos atque plateas, nocte dieque molli gutture & ſyrenæo concentu, puelli puellæq; cantillant, paſsimque ad victoriam & velut pro corona decantant: niſi etiam ex ſacris vo luminibus ſacerrimus ille Spiritus, in templis huiuſmodi nobis occinat & inculcet, quæ Veneris illos igniculos ampliùs in nobis accendant. Hæc pius Titelmanus. Cuius præfationẽ vt legas amore Chriſti rogo. Vbi Chriſtianeſatis & doctè execratur illos, qui hæc diuina Cantica ad ſuos laſciuos amores contorquent. Sed nos ad hæc te remittimus, vt legas fuſiùs ibi, nobis hoc ſolum ſat eſſe credentes, ſi ea quæ ad noſtrum erant propoſitum, huc trã ſcriberemus. Poſſem ſicut hæc duo ita & multa alia referre loca, in quibus iſti à nobis varian tes, neque certa neque Chriſtiana lege tenentur. Et quia ſemel cœperunt recta ſcripturæ ſacræ ſenſa faſtidire, eò mali gradatim proceſſerunt, vt ſacram Vulgatam Bibliam emenda re, vel vt verius dicam mendare, nihil morentur, quò peſſum eat omnis eius dignitas & au

toritas,

toritas, quod omen Deus auertat. Hæc iſtorũ audacia magnum nobis omnibus incuſsit timorem & rarum quendam ſtuporem. Miramur enim ſi fieri poſſet, vt ea trãſlatio, quam tantis annorũ centenarijs Eccleſia Latina ſemper magnam habuit & venerandam, tam miſeranda eſſet atque contemptibilis, vt tot examinationibus, annotationibus atque reprehẽſionibus merito & iure inſectari debuiſſet. Sed certè mihi dubium non eſt, ſi Interpretis veteris iudicium, veſtra (ô noui Theologi) ingenia comprehẽdere potuiſſent, plurima quæ ſunt à vobis vitio data, potiùs ad magnam laudem eidem fuiſſe deputanda. Non ineptè poterit adaptari præſenti negotio illud Dauidicum, Superbia eorum qui te oderunt aſcẽdit ſemper: quia hi noui Theologi, ſemper videntur in peius proficere, negãtes ſenſum de Chriſto literalem, reperiri in Veteri Teſtamento, nihili pendentes quòd ſacri doctores & catholici expoſitores, docuerint oppoſitam ſententiam. Aiunt enim hi quos in præſentia impugnamus, pygmæum ſuper impoſitum humeris & collo gigãtis latius videre & magis procul

cul ſpeculari. Et ita licet patres antiqui procero & grandi ingenio fuerint, nos tamen, eorũ dictis ſuffulti, & noua eorum inuentis addendo, in magis diſtans & latiùs, aciem ingenij tẽdere. Bene habet; exemplum eſt verum, à ſanctis receptum. Veruntamen ſi corpore modicus, non ſuperemineat corpus Gigantis, illo latiùs videbit nunquam. Et ita iſti cùm ſeparent & non ſuperponant, ſed contraponant interpoſitiones ſuas, interpoſitionibus ſanctorum doctorum, non poſſunt acumen ſui ingenij in campum ſcripturæ extenſiùs protendere, neque ſuperare rectum ſanctorũ ſenſum, in cernendo verum. Fallũtur ergo dum gehennam & infernum de quodam loco ſpurcitijs pleno (vt refertur 4. Reg. cap. 23.) intelligi, & non de vero loco æterni cruciatus volunt. Eliminant profectò genuinum ſcripturę ſenſum, & quę rectè ſancti interpretãtur, ipſi in alienum diſtorquent. Nam vt eſt Aug. Regula, voces ſacrarum literarum accipiendę ſunt in proprio ſenſu, quando commodè fieri poteſt, & nihil abſurdi ſequitur, alioquin ſumuntur per metaphoram: & eſt optima regula; quia ſi ita nõ eſſet, poſſent hæretici deflectere voces ad metaphorã paſsim & vbique. Tale eſt illud quod interpretantur de vaticinio Eſaiæ, Oculus nõ vidit, nec auris audiuit, &c. Aiunt enim iſti, locum illum qui habetur, Eſaiæ. 64. & citatur à Diuo Paulo 1. Corint. capit. 2. intelligi de præmio & mercede temporali, cũ in vniuerſum concorditer & conſtanter orthodoxi intelligant illud, de bonis æternis & ſupernaturalibus, de Verbo caro facto, & de gratia & gloria per eum à Deo beatis donanda. Multa alia loca ieiunè & inſipidè exponunt, facientes vt ſcripturæ nihil nobis minùs, quàm Chriſtum reſonent, ſed meras hiſtorias & ceremonias; mandentes corticem literæ quæ occidit, ad eius nucleum minimè penetrantes. Et certè, ſi coniecturis agere licet, grande mihi hoc inditium eſt, in eorum pectoribus ignem Chriſti non ardere. Nam ſi tali flamma flagrarent, vbique videretur eis Chriſtus ſub litera latitare, & ferè ſemper eis obuiam occurrere. Sicut cõtigit diuo Paulo in ſuis Epiſtolis, in quibus ſemper eructat verbum Chriſti & nomẽ. Quingentis enim, vt ita loquar, vicibus Ieſum

Chriſtum in eis nominat. Et paſtor ille Maronis, qui malo amoris æſtuabat igne, in Ecloga narrat, omnia vocare & cuncta ſuum Amaſium reſonare. Quis enim (vt ait Ouidius Naſo) celauerit ignẽ, lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo? Quòd ſi profanus ille & infauſtus amor, quos cruciat, ſic clamare cogit, quid nõ faciat diuina illa charitas poſtquã mẽti ſemel inſederit? Non habent profectò iſti affectionẽ piam in Chriſti myſteria. Nam ſi haberẽt illa quantũcunq; latentia è penetralibus ſcripturę educerent, & nobis propinarent: quod tantùm abeſt vt faciant, vt potiùs in contrarium videãtur omnes operas ſuas locare. Dicũt, melius poſſe verti multa loca ſcripturę, aptius, ſignificãtius, imo malè ab Interprete verſa dicit Lindanus: quod mihi nullatenus ferendũ videtur. Hoc enim eſt taxare Vulgatã noſtram & eius Interpretẽ, vt iã ſępiùs diximus. Certè Spiritus ſanctus datus eſt Eccleſię, etiã in dono linguarũ & in ſermonũ interpretatione, & nunquam in hoc dereliquit Eccleſiam. Et cũ hæc verſio ſit à Concilio canonizata & approbata vt Authentica, cõſtat inde approbatũ eſſe Interpretem, & quòd non fuerit falſus in vertendo. Lõga nobis eſſet terenda via, ſi omnia loca, quæ quidã meliùs vertẽda numerant, forẽt nobis referenda ſingulatim: ſed ſat eſt oſtium eis intercludere, opponẽdo pro muro & antemurali, Decretũ ſanctũ Cõcilij. Nã ſicut Eſdras ordinãs diuinæ ſcripturæ libros (vt dicit Rabi Elias leuites ſi fides ei eſt adhibenda) vbi inueniebat diuerſitatẽ codicum, ſequebatur id in quo plures & emendatiores codices conuenie bant, ita in libris noſtræ Vulgatæ iubet Concilĩ fieri: nec oportet pro veritate illius nouos labores exordiri. Quid enim repetã illud quod damnãt Ezechiel. 42. habet Vulgata, Eduxit me in atrium exterius, per viam ducẽtem ad Aquilonem. Septuaginta verò aliter vertunt, Eduxit in atrium exterius ad Orientem contra portam Aquilonis. Hunc nodum nobis proponunt, ſed certè facilè ſoluitur & ſine magno negotio conciliabis verſionem Septuaginta, & Vulgatę, ſi intelligas, quòd potuit primo per portam Orientalem educere, & peruenire ad eam quę eſt ad Aquilonẽ. Pari negotio ſoluitur illud Geneſeos. 4. Appetitus eius ſub

te erit. Dicit quidam quòd non poteſt intelligi de appetitu Cain, neque de eius peccato: vnde refert ad Abel: nam quod eſt in Hebreo, ſonat amorem, cultum & obſeruantiam, quã vnus alteri ſolet exhibere, id eſt, ille te diligit & obſeruat, hoc eſt Abel te. Sicut in Hebreo ſonat illud Cantic. 7. Dilectus meus mihi, & ego dilecto meo, & cõuerſio eius mihi. Probat ille ex Chryſoſtomo hom. 7. in Epiſtola ad Bonifa. Sed certè in hoc deferendus eſt Chryſoſtomus, ſicut in quibuſdam alijs, quæ aliàs diximus. Nã omnes autores ſacri illud teſtimonium exponunt de libero arbitrio & eius libertate. Nec obſtat quod oppoſitum, vel aliter dicat Chryſoſtomus. In aliquibus enim iam non eſt tutum tenere dictum alicuius ſancti, quando poſt eum vel ante, omnes alij ſancti oppoſitum tenuerunt, vt docet Cano, in Commentarijs ad primam partem, q. 64. art. 4. & exemplificat de igne inferni de quo dicẽdum eſt, quòd ſit corporeus: nec iam eſt tutum hoc negare, quicquid Damaſcenus & alij pauci dixerint. Et ſæpe ſancti procedunt non definiendo, ſed dialecticè diſputando. Dicunt etiam illud Sapientiæ

tiæ. 12. malè verſum in Vulgata, Iuſtus ergo cùm ſis Domine, &c. Ipſum quoque qui non debet puniri, condemnas, & exterum iudicas à tua virtute; cum eſſet legendum, Ipſum quoque qui non debet puniri, condemnare, exterum iudicas à tua virtute. Tu tamen dic quod vtraque lectio ſtare poteſt, ſi legas interrogatiuè ly condemnas, & reliquum affirmatiuè. Vel legas ſine interrogatione, & dic quod homo Deo compoſitus, etſi innocens videatur, damnabilis eſt. Et illud, Externum iudicas &c. aperte ſignificat iuſtitiam, miſericordiæ miſceri in Deo. Vel dic, vt Dionyſ. Carthuſ. dicit in hoc loco, condemnas, id eſt, temporaliter punis; æſtimas, id eſt, æſtimari permittis tanquam externum à tua protectione: quia ſecundum exteriorem apparentiam, ita te habes ad eum, ac ſi non pertineat ad te. Pergunt vlteriùs talia loca improbare, quale eſt illud. De latere ſurgere: vertunt, De lacte ſugere. Sed certè eundem habet ſenſum. Nam pueri lateribus matrum admoueri ſolent vt lac ſugant. Interfecta eſt terra, id eſt, interfecti habitatores terræ. Obliuioni dari & excidi idem ſunt,

& ſic conciliabis alia quæ verbo tenus variãt, in editione Septuaginta, à noſtra Vulgata, ſenſu tamen per omnia conueniunt. Quare idem eſt apprehẽdere diſciplinam, & oſculari filiũ: quia eſt illum adorare, & illi ſeruire. Idem iudicium erit pro cõcordia aliorum locorũ. Nũquam ego credam, quod iſti tam audenter aſſerunt, ſignificationem omiſſam ab Interprete Vulgatæ, eſſe aptiorem, quàm illa, quæ fuit ab illo poſita. Et certè mirum eſt, quod iſti aſſeuerant, Vulgatam habere certam autoritatem, non tamen benè conuerſam. Si certa, quomodo non benè conuerſa? Et quod Interpres Vulgatæ habuit diuinum Spiritum in vertendo, docet Hieronymus, non poſſe ſcripturam interpretari ſine Deo. Hylarius idem in Pſalm. 115. adducens illud Lucę vltimo, Aperuit illis ſenſum vt intelligerẽt ſcripturas. Illud etiam, Non reſurgunt impij in iudicio; dicunt melius poſſe verti, Non obtinebunt cauſam. Sed certè, non quia clariùs, ideo meliùs & ſignificãtiùs vertitur. Plura enim myſteria recõdita ſunt in verbis Vulgatæ, quàm in alia verſione, quam aliqui tantopere anhelantes affectant. Quod vtinã nunquam votis eorũ ſuccedat. Vnde nõ poſſum probare quod Eraſmus millies nõ erubuit dicere, interpretẽ Vulgatæ dormitaſſe. Et potiſsimũ mihi diſplicet, quod ille aſſeruit annotando verba illa Pauli. 2. c. ad Ro. Cogitationum accuſantiũ & defend. &c. vbi ait, mirè dormitaſſe interpretem, cùm verſo altero genitiuo Græco in ablatiuum Latinũ συμμαρτυρούσης alterum reliquit: & ait, quod vertendũ erat cogitationibus accuſantibus, aut etiã defendentibus. Ac deinde addit: Qui illũ dicũt Spiritu ſancto ſuggerente vertiſſe, vel vnũ hũc locũ ſi poſsint expediant. Deniq; quaſi victor canens triumphum, ita cõcludit. Atqui huius vnius loci tam inſignis ſupinitas, & oſcitantia tam euidens, ſatis argumento poteſt eſſe, quãtum illi fidendum ſit in alijs. Sed profectò hęc Eraſmi inſultatio, prouocatio, irritatioque eſt aduerſus omnes, qui veteris Interpretis ſtudent autoritatem tueri, quorum conſtat bonam partem adhuc eſſe ex ijs, qui in Eccleſia autoritate & eruditione præpollent. Et vt verum ingenuè fatear, hæc ipſa tam virulenta aduerſus virum de Eccleſia

Dei optimè meritũ annotatio prima me ad hoc, quod modo Dei gratia ſuſcepi negotiũ, adduxit,atq; adeò impulit: Non quod noſtra ipſe defenſiõe egeat;quippe qui de huiuſcemodi impugnationibus curã nullam gerat, quoniam in ea regnat modò curia,quæ omnis curæ prorſus neſcia, hominum verbulis nihil cõmouetur ; veri tantũ ſummiq; boni perpetuis flagrat ardoribus: ſed quod nos, qui ad illorũ beatam ſocietatem anhelamus, deceat omnimodis erga illorum ſanctam memoriam humiles eſſe:ita vt ſi quid aliquando res ipſa exigat dici,quod illorum videatur honori deroga re,cum magno timore ac reuerentia, quã modeſtiſsimè,ſimpliciſsimeq; id fiat.Sed vt eòvn de digreſſa eſt noſtra recurrat oratio;Audent quidã vxoréLoth dicere,non eſſe verſam in ſtatuã ſalis,ſed in petram.Quod profectò impiũ eſt & cõtra ſcripturam.Nam demus Vatablũ verũ dicere, ſalem denſum in modum petræ reperiri,nec facilè liquabilẽ,certè indè non colligitur nõ fuiſſe verſam in ſtatuam ſalis,ſed dicere ſaltem deberent, eſſe conuerſam in ſtatuã ſalis nõ liquabilis,ſed multi ex noſtris petrini, vt

vt ita loquar.Sed maiora his audẽt: nã effrõtes dánant picturam Ioannis recũbentis in Chriſti pectore,volẽtis illũ recubuiſſe ſupra humerũ Chriſti,& nõ ſupra pectus : quod profectò eſt cõtraire Euangelio.Damnant etiam pictura bouis & aſini, negantes interfuiſſe præſepi domini;negantes hoc colligi ex Eſa.c.1. Recurrunt ibi ad Allegoriã,negantes ſenſum literæ, duobus illis animalibus quadrare,parui faciẽtes vſum & morẽ Eccleſiæ,per traditiones,& literas,ante mille quingentos annos receptiſsimũ. Vox populi, vox domini:quãtò magis Eccleſiæ,quæ in quarto Reſponſorio natiuitatis domini canit,O magnũ myſteriũ & admirabile ſacramentũ,vt animalia viderẽt Dominũ natum iacentem in præſepio &c.Quòd ſi dicas,illud Reſpõſorium nõ facere hoc de fide,dico quòd ſaltem facit vt ſit de pia crudelitate. Sacri autores etiam eis cõtradicunt : è quibus eſt Chryſoſtomus in ſermone de natiuitate domini,vbi dicit,Reclinauit illum in pręſepio,vt impleretur vaticinium Eſaiæ. Cognouit bos &c.Et Aug.cõtra Iudæos,& Paganos.c.13. & D.Ambro.in Lucam li.2.c.2. de natiuitate Sal

uatoris. Et diuus Proſper, de promiſsionibus Dei, Parte. 3. Origines in ca. 2. Lucæ, homil. 13. Athanaſius in libro de verbis Euangelij. Abacuc (ſecundum Septuaginta) in medio duûm animalium cognoſceris. Auguſtinus in Pſalmum. 126. in illa verba. Sicut ſagittæ in manu potentis. &c. Auguſt. contra Fauſtum, lib. 13. cap. 11. Lege fuſiùs de hoc perdoctè differentẽ magiſtrum Leonem in ſuis Commentarijs ſuper hunc locum. Nec Euangeliſtis parcunt. Nam etiam notam ſuperuacaneæ additionis inurunt diuo Lucæ, qui cap. 3. poſuit. Sale qui fuit Caynam, qui fuit Arphaxad. Dicunt illi, Caynam, illo loco ſuperfluere, & ſcripturam ſacram vel hic ſuperfluam eſſe, vel in Geneſ. vndecimo, & primo Paralipomenon, fuiſſe diminutam, vbi legitur Arphaxad genuiſſe ipſum Sale: nec Caynan exprimitur ibi, neq; interponitur. Cur autem Lucas ponit Caynan inter Arphaxad & Sale? Ad quod ab aliquibus reſpondetur, quòd Arphaxad, adhuc viuens adoptauit nepotem ſuum Sale, ideoque eius filius appellatur: ſicque Caynan fuit pater naturalis præfati Sale. Alij putant, quòd Sale fuit filius adoptiuus ipſius Caynan, & naturalis filius ipſius Arphaxad. Itaque in hoc omnes cõcordant, quòd vnus iſtorum duorum fuit pater naturalis ipſius Sale, alter autẽ pater eiuſdem, legalis ſeu adoptiuus. Septuaginta verò Interpretes ponunt hunc Caynan, inter Arphaxad & Sale: quorũ tranſlationem ſequitur Lucas: quod ſuis tẽporibus tota Eccleſia ea vtebatur. Nec hoc loco ſcriptura Geneſis, cõtrariatur ſcripturæ Lucæ: quia multoties, quod ſcriptura vno loco reticet, alio loco explicat, nõ ſine cõſilio Spiritus ſancti. Et quare hîc Caynã exprimatur & alibi nõ, ille nouit cui nemo eſt à conſilijs. Hęc ſolutio Bedę eſt, prior tamẽ eſt Diony. Carthuſ. ſuper Lucam cap. 3. Aliter nititur eã ſoluere Catharinus in Dialogis, cuius ſolutionem non vidi, quia eam nõ ponit in annotationibus cõtra Caietanũ, quem ibi reprehendens, remittit nos ad ſuum librum Dialogorũ. Alij verò aliter ſoluunt dicentes, Caynan eſſe poſitum ab Euangeliſta, per recapitulationem. Peſsimè tamen omnium ſoluit Eraſmus (vir malè pius aut certè parũ) qui reijcit iſtiuſmodi quæſtiones, vt futiles & inanes. Sed

vt

vt pergamus vlteriùs, nihil trepidant à multis iam annis ludibrio exponere,& nihili pendere rem adeò mirabilem & omnibus ſpectabilẽ. Nihil trepidant næuum etiam affigere Diuo Franciſco Patriarchæ pauperum,quaſi riden tes quod Eccleſia recipit & celebrat, de ſacris ſtigmatibus ei à Chriſto impreſsis. Quod my ſterium dicunt non eſſe adeò certum & Authenticum,vt aliqui autumant, ſed potius eſſe contemplationem Diui Bonauenturæ, & imaginationem noſtrorum fratrum. Ego tamen,pauperculus frater minor,quia res patris mei agitur,nihil dicã quod bilẽ aut ſtomachũ ſapiat,ſed humiliter referã,quę ſummi Põtifices de hoc maturè decreuerũt. Gre. IX. edidit quãdam Bullam ad perpetuã rei memoriã,in laudem ſacrorum ſtigmatum B. P. Franciſci, vbi acriter increpat quendam Epiſcopum de eis dubitantem,quã Bullam habemus Authẽticã. Et aliã Bullã edidit idẽ Greg. ad Prælatos fratrum prædicatorum,vt quendam,qui contra ſtigmata B. Franciſci prædicauerat,ſuſpẽderẽt à prędicationibus,& mitterent illum ad præſentiã eiuſdẽ ſummi Põtificis,vt iuxta ſua demerita reciperet. Alexander quartus edidit etiam aliam Bullam,etiam ad perpetuam rei memoriam,ſicut & Gregorius, in laudẽ ſtigmatum beati Franciſci, afferens ſe vidiſſe illa. Idem Alexander edidit aliam Bullam & promulgauit ſententiam excommunicationis, à qua nullus poſſet abſolui,niſi perſonaliter adiret ſedem Apoſtolicam, contra eos qui in regnis Caſtellæ & Legionis prædicauerint,prędictum ſanctum prædicta ſtigmata nullatenus habuiſſe, cuiuſcunque ordinis vel conditionis exiſtant. Et decreuit inſuper,quòd ſi fortè,tales fuerint Doctores ſeu Lectores in Theologia,ſeu in quacunque alia facultate, incurrant priuationem prædictorum officiorum. Et inſuper, præcepit Eccleſiarum prælatis prædictorum regnorum,quatenus huiuſmodi literas notificent Chriſti fidelibus,& prædicta omnia faciant firmiter obſeruari,contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam (appellatione poſtpoſita) compeſcendo:& hęc Bulla eſt Authentica. Idem, Nicolaus. 3. dixit, approbando Bullam Gregorij noni. Idem, Sixtus quartus decreuit. Et Nicolaus 3. in Decretali,

tali,Exijt qui ſeminat;de Verborũ ſignificatione.Neque hanc veritatem negat Melchior Cano vir pius & doctus,& in noſtrum ordinem & in Diuum Franciſcum patrem ſui patris benè animatus & affectus. Legerat enim tot Pontificum Bullas & Decreta. Neque in hoc vnus Pontifex alteri contradicit. Sed quod dicit magiſter Cano libro quinto de locis,capitulo quinto,hoc eſt tantùm. Sixtus quartus(inquit) docuit Diuam Catherinam Senenſem, ſtigmata non habuiſſe, non defuit qui contra iudicarit.Neutrius Põtificis iudicium ad Chriſti Eccleſiam ſpectat, vtrumque, aut probare aut improbare ſine fidei diſcrimine poſſumus.Sed valeãt ſtulti, qui de rebus nihili digladiantur. Hæc ſunt verba magiſtri Cano : de quibus nihil niſi perperam colligitur contra Decreta Pontificum, qui concorditer & conſtanter ſacra ſtigmata in ſancto patre noſtro eſſe impreſſa,per omnia conſentientes, de ſede Petri docuerunt. Vnus fuit qui hoc negauit Lutherus ſuper Epiſtolam ad Galatas ſex. cap.ſuper illis verbis.Ego enim ſtigmata. &c. Dixit enim hoc de ſe præſumpſiſſe & falſò dixiſſe

dixiſſe Franciſcum , quia fuit inani gloria tumens. Vide cruentam beſtiam in ſanctum inſurgentem . Et quid mirum , ſi de Patre Franciſco iſti noui dogmatiſtæ malè ſentiant , cùm etiam de partu Virginis , vel de eius filio in præſepi poſito non bene ſentiant , negantes ibi eſſe præſepe , contradicentes Euangelio : vocantes etiam diuerſorium , domum quam propriam habebat vel conductam Ioſeph in ciuitate Bethlehem, cùm apud ſacros autores & interpretes dicatur diuerſorium , receptaculum hoſpitum , aut tugurium & aliud huiuſmodi ; non tamen domus propria aut conducta vel locata . Colonus enim Chriſtus , & peregrinus in terris viſus eſt , & cum hominibus conuerſatus eſt , peregrino & humili loco natus , vt per omnia paupertatis exemplum nobis imitandum proponeret. Vnde Gregorius in homilia ſuper Euangelium Lucæ capitulo ſecundo , Exijt edictum à Cæſare Auguſto vt deſcriberetur , &c. ait. Qui non in parentum domo, ſed in via naſcitur,vt profectò oſtenderet, quia per humanita-

tatem ſuam,quam aſſumpſerat,quaſi in alieno naſcebatur.Sed quia iſti Rabinos probant, nihil eis niſi Rabinicum dogma ſapit. In quo malè falluntur.Rabini enim malitia & infidelitate pleni, Chriſti & veritatis inimici iurati ſunt.Quid mea refert, quòd codices Hebræi nunquam de induſtria fuerint corrupti, vt ait Ioannes Driedon libro.2.deEcclesiaſticis dogmatibus?Nam ſiue de induſtria,vt multi docent,quos aliàs memorauimus, ſiue oſcitãter & ex incuria,certè qui minus hoc concedunt, ingenuè fatentur,quòd cõtulerunt codicesHebræos,quos nũc habemus,cum illis antiquioribus,& dicunt per omnia conuenire:quod ſi qua eſt diſſonantia,ex pũctorum &literarum ſimilitudine eſt exorta:& hoc ipſum dico ego: nam quòd conueniant, pluſquàm falſum eſt. Cuius falſitatis prætextu, iſti boni viri parant nobis laqueos,in quos ipſi inciderunt;vt ſi ſemel eis conceſſerimus, Hebræa volumina nõ eſſe deprauata, acclamabunt ilicò,nos debere emendare noſtram Vulgatam, ad prototypũ Hebraiſmi,cùm illud ſit Originale exemplar ad quod nos remiſit Chriſtus cùm dixit,Scrutamini ſcripturas,quia illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.Sed certè technę &eorum mala mens aperitur,ſtando verbis Concilij,& ad illius Decretum, tanquam ad ſacrã anchoram confugiendo, & vt in aſylum nos illùc recipiendo. Hanc interpretationem Vulgatam,quam iſti pro nihilo ducunt,quaſi vilem,pro libito tractare,mihi vſque adeò, veneranda antiquitas reddidit venerandam, & tot ſeculorum vnanimis conſenſus, quo ſola hac à diui Hieronymi temporibus reperiuntur ſancti patres vſi fuiſſe in Eccleſiaſticis ſcriptis atque conuentionibus, vt graue admodũ ſit animo meo,quicquam audire,quod aduerſus eius autoritatem immeritò proferatur. Neque vt alienorum operum impugnatorẽ me odio quiſquam habere debet,qui rationabili tantùm reſponſione, pro Eccleſiaſticæ interpretationis autoritate, qualemcunque pro mea virili defenſorem exhibere ſatago, vt venerandæ antiquitati, pro mea tenuitate patrocinando, veritati præſtem obſequium. Neque enim pro Deo ego ſum,vt quo animo, aut qua ratione, damnent iſti Vulgatam noſtram,

ſtram, valeam perſpicere atque iudicare. Domini enim eſt iudicium, & eorum, qui eius vices gerunt, pro ſacro tribunali ſedendo, hæreſes extirpando, & nouitatibus obſtando. Illud autem ſuſpicor, quoniam calore intemperati feruoris euecti, aut contemplatione non ſatis profunda leuiter decepti, in multis etiam occulta eruditionis eius Vulgatæ non aſſecuti, aut aliud aliquid humanum paſsi, ſuo iudicio, coarguenda aut immutanda exiſtimauerint multa: quæ ſi plenè habuiſſent intellecta & probè cognita, ſat habuiſſent ſuis annotamẽtis elucidare, neque reprehendentes neque immutantes aliquid in eo quod ſecundum veritatem optimè fuerat redditum & nulli prorſus reprehenſioni obnoxium. Tamen illud certo certiùs docet experientia, annotationum atque examinationum iſtorum occaſione, non ſolùm apud imperitum vulgus, verùmetiam apud eos qui ſibi apprimè videntur eruditi, imo & apud eos quos verè doctos habet Chriſtianorum populus, Veteris & Eccleſiaſticæ interpretationis autoritatem plurimùm eſſe imminutam: cum non ſolum apud ſciolos, ſed apud prædictos cœperit noſtra Vulgata & vetus editio, pedibus conculcari: quæ multis annorum centenarijs penè ſacroſancta fuit à Patribus orthodoxis habita. Quamobrem mihi perſuadeo, Eccleſiaſticum Interpretem, adeò Græci Latinique idiomatis fuiſſe peritum, & vtriuſque linguæ proprietatem tam habuiſſe perſpectam, vt neſciam ſi quid illi deeſſe potuerit, quod in vero interprete debeat deſiderari. Vos igitur per Chriſtum & Sanctum eius Spiritum obſecro, magni æſtimate noſtrum Interpretem, quem Deus magnis dotauit: & ſentite de eo in bonitate, quem Deus haud dubiè Spiritu ſuo ſancto magnificè illuſtrauit. Neque mihi quicquam volo credi neque meo vos iudicio fidere, ſed veſtrum ipſorum requiro iudicium, modò ſit manſuetum atque benignum. Quando ad voſmetipſos redibitis expendite quæ modò ſcribo tactus zelo Dei. Illud tamen præcauete ne (quod fieri ſolet) nimia auiditas propria tuendi, rationis iudicium à ſuá

trãquillitate perturbet, vt verum cernere ne-
queat. Si ad Patrum priſcorum dogmata
confugias, negant iſti aliquando ſine vere-
cundia. Nobis tamen ad ſcripturas Cano-
nicas à ſanctis interpretatas, tanquam ad vni-
cum præſidium, quaſique ad ſacram an-
choram pro ſaluandis paruulis, quos Medi ſa
gittis ſuis, vt occidãt, perſequuntur, recurren
dum reſtat. Ad ſcripturarum ergo ſacrarum
oportet teſtimonia confugere, ad quæ ſancti
Patres ſpiritu Dei edocti in conſimili pugna
conuolarunt. Auertat à nobis magnus Domi
nus, ne (noſtris aliquando expoſcentibus ſcele
ribus) permittat, præualere noua commenta
vetuſtiſsimis probatiſsimiſque Patrum ſen-
tentijs. Fundatiſsimam fidem noſtram, ſuo
brachio, ſeruet ſemper omnipotens Deus. Ni
ne rectiùs fuiſſet, vobiſque conſultius, o noui
Theologi, qui Eccleſiæ vos ſubditos & Eccle
ſiaſticę fidei profeſsione gloriamini, in omni-
bus ſanctorum patrum ſimpliciter conſona-
re ſententijs, quàm pro hęreticorum hominũ
erroribus, noua confingere patrocinia? Sic vo
bis Deus omne bonum oſtendat, & poſsidere
faciat

faciat in regno ſuo, vt ego vos omni bono &
hîc, & in futuro abũdare cupio. Exigit iſta no
ſtrorum temporũ infelicitas, vt ab omni ſpe-
cie mali diligentiſsimè abſtineant, ij pręcipuè,
qui in Eccleſia graui pollent autoritate, quiq;
apud vulgus, doctorum habentur in pretio:
ne per eos aut puſilli ſcandalum patiantur,
aut ſuperbiæ cornua, aut defenſionis arma ſu
mat hæreticorum prauitas. Exurgunt nam-
que hac tempeſtate (prôh dolor iam diu ſur-
rexerunt) Athei, id eſt, ſine Deo homines, ſine
reuerentia, ſine timore, ſine omni denique af-
fectu debito, homines mente excœcati & cor-
de peruerſi, ante quorum oculos nõ eſt Deus,
qui Patrum Decreta omnia pro nihilo pen-
dunt, ſanctæ Eccleſiæ diffinitionibus ſtare re-
nuunt, denique neque Deum, neque Prælatos,
neque Eccleſiam ſciunt reuereri, quorum in
hoc eſt omne ſtudium, quemadmodum Ec-
cleſiaſtica & Catholica rectè fidei dogma-
ta queant euertere, & Eccleſiaſticæ vnita-
tis pacem perturbare aut diſcindere, diſſen-
ſionem ſuſcitare, hæreſes nouas ſtudioſè con-
fingere, damnatas reuocare, ſcripturas per-

uertere, Patrum dogmatibus & ſententijs contradicere, & ſi quid aliud eſt huiuſmodi. Quorum hodiè non modica turba, velut coniuratione facta, pariter collatis copijs nihil aliud molitur, quàm de ſcripturis nouas ſculpere, eaſque peruerſas ſententias; quibus fundatæ iam diu orthodoxæ fidei reſiſtat, orthodoxæ fidei cultoribus exhibeat negotium, erroribus olim damnatis patrocinium impendat, ſopitos in lucem reducat, imo nunquam natos progignat fœcunditate malitiæ. Atque hac in re ita glorioſè inter ſe ſe certatim contendunt, vt quiſquis plura poſsit olim firmata dogmata infirmare, aut reuocare olim damnata, is Chriſto propior habeatur: quoque aduerſus Chriſti fundatiſsimam fidem, poſſunt de ſuo pectore veneni amplius ſerpentini canes effundere, eò magis Chriſtianum habere pectus cenſeantur: adeò vt Chriſtianiſsimo pectore ſe iactare audeant, qui nihil niſi meri ſunt Antichriſti. Et væ væ, iterumque væ venturis ſeculis, non tam ex ijs, quæ iam exorta ſunt in altum zizanijs, quàm ex ijs, quæ adhuc latent

latent ſeminata ſubtus terram in abſcondito, ſi res ita pergant vt ſunt in principijs: niſi magnus Dominus, & viri boni quibus eſt zelus & ſcientia Dei, & Iudices ſacri moderatores fidei, remedia oportuna prouiderint. Videre mihi videor (faxit vt fallar omnipotens Deus) ſub zabulo, neſcio vbi, abſcondita & inabſcondito repoſita, draconum oua peſtifera: à quibus metuendum eſt, ne tota inficiatur terra, ſi quando pater omnis mendacij, ex ouis quibus incubat pullos queat progignere. Vtinam qui probati ſunt; manifeſti fiant; abſcondantur autem, imo abſcindantur quicunque Eccleſiam Dei, ſtudio ſuo conturbant, & vnitatem Eccleſiaſticæ pacis interturbare quærunt. Sed de his hoc loco, propoſitum non eſt plura diſſerere. Ad id ergo reuertentes vnde digreſsi ſumus, doleo ſummopere improbum iſtorum laborem, in conculcanda noſtra editione. Autumãtes enim ſe oſtentare eruditionem, produnt ſuam de intellectu ſcripturę inopiam. Et dũ, futili quadam & inani gloria, ſuas ampullas erigunt, inteſtinos & domeſticos hoſtes Ec-

cleſiæ ſe eſſe, luce meridiana clariùs oſtendunt. Quæ ſi mente ſua verſaſſet quidam in ſcribẽdo iunior, nunquã eſſet prolapſus in ea. Sine iuſtæ enim rationis neruo, aut probabilis autoritatis fulcro, aut ſaltem alicuius non omnino inanis rationis colore aſſerit, quòd nonnulli diuinarum ſcripturarum autores propter ignorãtiam artis Grammaticæ, quędam perturbato & confuſo ordine enarrarunt: & hãc ob rem eorum libri ſcatent ſoloeciſmis ac barbariſmis. Et exemplificat de Paulo, teſtante Hieronymo, q. 10. ad Algaſiam. Quæ quidem aſſertio facilè impugnatur, per ea quæ D. Thomas docet 2. ſecundæ. q 176. ar. 1. dum reſpõdet ad primum argumẽtum. Aut ſicut dicitur 1. ad Cor. cap. 12. Manifeſtatio ſpiritus datur ad vtilitatem, & ideo ſufficienter. Et Paulus & alij Apoſtoli, fuerunt inſtructi diuinitùs in linguis omniũ gentium, quãtùm requirebatur ad fidei doctrinã: ſed quantùm ad quędã, quę ſuperaddũtur humana arte ad ornatũ & elegantiã locutionis, Apoſtolis inſtructus erat in propria lingua, non autẽ in aliena. Sicut etiã in ſapiẽtia & ſcientia fuerũt ſufficiẽter inſtructi, quantùm requirebat doctrina fidei, nõ autem quantũ ad omnia quæ per ſcientiam acquiſitam cognoſcuntur, puta de concluſionibus Arithmeticę vel Geometrię. Hęc D. Thomas. Secundum quem, eſt interpretandus diuus Hieronymus: nec tamen propter id nęuus ignorantię eſt imputãdus Paulo, circa artem Grammaticam. Lege de hac re Eraſmum. 2. ad Cor. c. 11. Super illud, Et ſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia, vbi dicit, Hieronymum hac in re varium eſſe, & aliquando dicere, Paulũ Græci ſermonis elegãtioris ignarũ fuiſſe. Rurſus aliàs in diuerſum declamat, procul ſubmouens eos qui putãt, Paulum hoc ex animo dixiſſe, cũ omnes ſermonis proprietates pulchrè tenuerit, omnes argumentationũ ſtrophas ad vnguem calluerit. Quin & D. Aug. in opere de doctrina Chriſtiana pleraq; Rhetorum ſchemata, ex Paulinis adducit Epiſtolis. Idẽ alicubi monet, Et ſi, hoc loco non eſ ſefatentis, ſed cõcedentis atq; donãtis. Velutiſi dicas, Fac me eſſe imperitũ ſermone, certè nõ ſum imperitus ſcientię. Porrò quod ad ſenſus attinet, nihil poteſt eſſe Paulo diuiniùs: ſermo

verò licet his vacet ſolœciſmis, quos pleroſq; illi addidit Interpres, tamen politus dici nõ poteſt, iuxta morẽ humanum, cũ Gręci interpretes paſsim torqueantur incõmoditatibus orationis: quod non accidiſſet, ſi nobis Iſocratis aut Luciani lingua fuiſſet locutus. Hæc ad literã Eraſmus. Et ne te multis morer lector amice, lege Ganeium ſuper Paulum. 2. Cor. cap. 11. & ibi Catherinum, & Dionyſ. Carthuſ. Lege & Trexò Placentinum in eundem locũ Pauli. Nec D. Hieronymus adeò irreuerenter pungit D. Paulum tanquam Grammaticæ ignarum. Nam etſi aliquãdo dicat, Apoſtolum aliquo teſtimonio eſſe abuſum, intelligetu, id eſt, rectè vſum. Hoc enim ſignificat aliquãdo abuti, pręclarè vti: vt apud Ciceronem cum lumina ſentẽtiarum enumerat, Ea quibus, inquit, tanquam abutimur, id eſt, per Catachreſim dicta quæ inter ſententiarum lumina numerantur. Neq; enim diceret, D. Paulum in quo loquitur Spiritus ſanctus, in quo Chriſtus loquitur, qui in tertium cœlum eſt raptus, abuſum, id eſt, impropriè vſum teſtimonijs ſcripturæ: cum à D. Hylario & alijs ſanctis Patribus dicatur

catur optimus ſcripturæ interpres. Ita Hylarius lib. 5. de Trinitate. D. Baſilius cùm alibi, tũ in proœmio de Dei iudicio. Et diuus Chryſoſtomus de compunctione cordis lib. 1. & li. 2. Plutarchus in libro quem cõſcripſit, Quomodo oporteat audire poëmata. Lege Irenęũ citatum à Tertulliano: in eo opere, quod aduerſus hæreſes conſcripſit, lib. 3. cap. 7. prolixiùs agit de hyperbatis, quibus Paulus ob ſermonum ſuorum velocitatem, & vt ipſe rectiſſimè afferebat, ſpiritus qui in ipſo inerat impetum, frequenter vtitur. Quibus omnibus penſatis, non poſſum non vehementer mirari adeò inſolentem hominis audaciam, qui diuino Apoſtolo, non ſolùm vbertatem in dicendo negauit, ſed ignorantiam artis Grammaticæ ei inuſit. Iure miror & meritò demiror, tam ferociter aduerſus D. Paulum inſultare: neque aduerſus eum modo, ſed ſimul aduerſus omnes, qui illi dignam & debitam tribuunt autoritatem. Idem, autor Hypotypoſeon col. 38. & 39. vbi exploſam ait tranſlationem Septuaginta ab Eccleſia in reliquis libris præterquàm in Pſalmis & in Eccleſiaſte. Le-

ge de hoc, imo contra hoc apertum teſtimonium apud Dion. Carthu. in principio 1. tomi dum loquitur de varijs tranſlationibus, art. 2. Et quia de hoc argumẽto plura dixit Leo, cùm diſputatione de tranſlationibus, tùm toto illo lib. quem edidit egregium ſuper Eſaiam, plura dicere nõ perſiſtam. Ibi enim abundè probat, exoſam eſſe Iudæis & Rabinis, tranſlationem Septuaginta, & quòd cùm nõ poſſent ſoluere inſolubilia argumenta, quæ contra eos tranſlatio Septuaginta manifeſtabat, tam de aduentu Chriſti, quàm de alijs myſterijs fidei, conuenerunt vt dicerent, Septuaginta illos nõ bene doctos Hebraicè, & ideo infideliter Græcè tranſtuliſſe: cũ apertè conſtet Septuaginta illos ita rectè conuertiſſe, vt quaſi ad oculum & digitum viderentur Chriſtũ demonſtrare, cum per tercentos annos, plus minus, eius aduentũ præceſſerint. Quos Septuaginta multis in locis, Euangeliſtæ & Paulus perſanctè allegant. Quos Septuaginta licet Hieronymus paucioribus & prioribus locis carpere videatur, plũribus tamẽ & poſterioribus obnixè eos laudat atque commendat: vt eſt videre apud prædi-

prædictum magiſtrum Leonem, qui autores plurimos in hoc refert & congerit. Idem autor Hypotypoſeon columna 33. ait, Nec tam mihi videntur intellexiſſe libros quos transferebant, quàm odoratos fuiſſe &c. Hæc profectò aſſertio, temerarium continet errorem, & certè ſi non error, ſaltem temeritas eſt, ſic detrahere his quę Septuaginta verterunt, vt iam proximè dicebamus. Nec minus diſplicet quod idem autor ait col. 44. & 45. & 46. Qui dicunt Hebræorũ libros eſſe falſatos, &c. Sed quia de hoc iã in anteactis plura diximus, non oportet eadem repetere: illud contentus referre, quod docet Iuſtinus martyr aduerſus Triphonem, & Tertullianus in libro aduerſus Iudæos, vbi oportunè ſatis impugnantur iſta, vt nos docet idem Leo ex ſacris autoribus. Idẽ autor col. 47. ait. Poſtea Paulus abuſus hoc nomine, vt ſolet, &c. Quæ D. Pauli redargutio mihi per omnia diſplicet. Nam D. Paulus non ſolum Hebraicæ, ſed Græcæ linguæ valde peritus fuit, & artis Rhetoricæ colores optimè nouit. Lege Aug. lib. vnico de magiſtro cap. 5. & Ambroſ. 2. Cor. cap. 11. Nõ ſe eloquentię igna-

rum dicere voluit Paulus; ſed propter eos qui non per fidem, ſed per eloquentiam commendari volebãt. Quamobrem ſpreta eloquentia id agebat, vt fides, teſte virtute, acceptabilis eſſet & grata, fidem quoq; eloquentia non cõmendaret, ſed ipſa virtus cui cedit eloquentia. Pro loco autem & tempore, nõ oſtentationis cauſa, ſed rarò, & prout loci & temporis opportunitas exigebat, id egit. Nec mirùm; eloquentiã quippe, ſcripturam ſacrã pertractantibus, diſſimulanda eſt, quibus vulgaris ſermo & triuialis accõmodatior eſt, teſte Hieronymo, in procemio tertij Cõmentarij ſuper Amos Prophetam: In explanatione ſanctarum ſcripturarum (ait) nõ verba compoſita & Oratoris floribus adornata, ſed eruditio & ſimplicitas quęritur veritatis. Qui rurſus, in Epiſt. ad Pãmachium, inquit, Eccleſiaſtica interpretatio ſi habet eloquij venuſtatem, eam diſſimulare debet & fugere, vt nõ otioſis Philoſophorum ſcholis paucisq; diſcipulis, ſed vniuerſo loquatur hominum generi. Vnde liquet autorem iſtum minus religioſè locutum, lapſumq; fuiſſe: cuius nonnulla in hoc libro edita, optarem vt in ſcriniolis ſuis tantum muſitaſſent, & faciem publicã reformidaſſent. Quale eſt, quod modò loquitur de Paulo, quod ſit abuſus hoc nomine teſtamentum; qua ratione & alijs id genus? Caietanus non ſatis conſideratè, credidit eſſe in dubium vertendum, an hæc ad Hebręos Epiſtola ſit Pauli. Ratio verò quam iſte autor prætendit rancida & manca eſt. Quis tamen adeò ineptit, vt veterem illam legem, de qua Exodi 24. ſicut pactum, ita teſtamentum dici neſciat? Cum Pſal. 24. ſcriptum ſit, Filij Ephren non cuſtodierunt teſtamentum Dei, & in lege eius noluerũt ambulare. Et Pſal. 131. Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hęc quę docebo eos. Quod autem & lex ipſa pactum appelletur extat teſtimonium Hieremiæ cap. 31. Ecce dies veniũt dicit Dominus & feriam domui Iſrael & domui Iuda pactum nouum: non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus veſtris in die qua apprehendi manum eorum. Quis igitur autorem huius Epiſtolæ imperitiæ aut ignorantiæ denotabit, aut vocabulo abuſum dicet, quòd legem veterem teſtamẽtum cenſuit appel-

appellandam, aut quòd teſtamento, pacti loco, vſus ſit? cùm vtroque nomine cenſeatur, ſintque idem pactum & teſtamentum teſte Hieronymo; qui Hieremiæ loco nunc inducto, proferens Septuaginta interpretum editionem, vbi pactum habemus, poſuit teſtamẽtum. Quirurſus in Commentarijs ſuis eodẽ loco ait, Quod autem pactum pro teſtamento ponimus, Hebraicæ veritatis eſt, licet teſtamentum rectè pactum appelletur, quia voluntas in eo atq; teſtatio eorum qui pactũ ineunt, cõtinetur. Idem quoque Hieronymus locum illum explicans, Feriam eis pactum ſempiternum, ait, Diſponam illis teſtamentum æternum, Septuaginta ſecutus. Quare meritò improbanda venit huius noui trilinguis aſſertio: ſicut & colum. 88. in interpretatione nominis Abraham, vbi ait. Ego affirmare auderem per vtrumque nomen idem ſignificari, licet poſteriori nomini addita ſit litera, h, &c. Quæ profectò ſententia non cõſonat veritati ſacræ ſcripturæ, Geneſeos cap. 17. vbi habetur. Dixitq; ei Deus, Ego ſum, & ponam pactum meum tecum, eriſque pater multarum gentium: nec

vltra vocabitur nomen tum Abram, ſed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gẽtium conſtitui te. Liquidò ergo conſtat plus ſignificari per Abraham, quàm per Abrã. Hoc enim ſignificat patrem excelſum, quod nomen poteſt competere viro ſublimi, quamuis perpauci naſcantur ex eo, & citò deficiat poſteritas eius: ſed illud nomen Abraham interpretatur pater multarum, & ſubauditur gentium. Idcirco ratio huius immutationis & nouæ appellationis ſubiungitur, Quia patrem multarum gentium conſtitui te, id eſt, facere te decreui patrem populorum multorum. Eſt enim pater cunctorum fidelium ſpiritualis, quemadmodum ad Rom. 4. & ad Galatas 3. docet Apoſtolus. Eſt quoque pater carnalis multarum gentium, ex ſuis filijs genitarum. Conſidera quæſo, quàm leuiter iſte affirmare audet vtroque nomine idem ſignificari, cũ ſcripturę textui oppoſitum clamet. Mitto modò quod columna 95. & colum. 333. audet damnare noſtram Vulgatam editionem, quod quàm temerè fiat, abundè iam diximus. Columna præterea 175. audet dicere de Chriſto,

Nam,neque vt Deus,neq; vt homo derelictus vnquam est à patre,neque peccatum,neq; maledictio factus est. Quæ omnia non solùm in facie,sed in veritate scripturæ repugnant. Item columna 267. de hoc Booz, quòd non potuerit generare Obeth ex Ruth. Hoc profectò repugnat Euangelio, vbi apertè dicitur Matth. primo capit. Booz autem genuit Obeth ex Ruth. Ista est Ruth Moabitis, quæ vt legitur in libro Ruth, venit cum Noëmy à terra Moab, in terram Iuda: quam Booz accepit in coniugem, eò quòd esset propinquus priori marito Ruth, filio Noëmy sine prole defuncto. Quamuis enim illicitum fuerat Israelitis contrahere cum Moabitis, imo tale matrimonium non erat verum matrimonium, propter disparem cultum personarum, (propter quod Esdras abiecit à filijs Israel vxores eorum Moabitidas) nihilominùs quando conuersę fuerũt fœminę tales ad Iudaismum, & virtuosæ effectæ, recipi poterant, saltem ex dispensatione. Quàm autem virtuosa & fidelissima, humilis atque obediens fuerit Ruth, patet in eius historia. Vnde & Booz dixit ad eam, Scit omnis populus vrbis meæ, mulierem te esse virtutis. Quoniam verò inter matrimonium Salmon & Raab, quod fuit tempore Iosue, & matrimonium Booz & Ruth, quod fuit tempore Hely, vel circiter, tempus trecentorum annorum transierit, vt potest probari computando tempora Iudicum intermediorum, mirùm apparet quomodo Salmon genuit Booz maritum Ruth. Ad quod aliqui dicunt, tres fuisse Booz; quorum primus erat filius Salmon, & auus huius Booz, comprehenduntur tamen sub vno nomine. Sed ista responsio ex nulla Canonica scriptura autoritatem sortitur: imo vbicunq; in nouo & in veteri Testamento describitur ordo generationis istorũ, de vno dũtaxat Booz fit mentio. Pro præsenti tamẽ nõ occurrit responsio melior, nisi quod hic Booz dicatur tempore tam longo vixisse, vt scripturę autoritas sibi cõstet. Nec culpetur, vt ab isto nouo autore, nouarum rerũ affectatore: Sicut & columna 425. falsò imponit Hieronymo, quòd Euangelistę vtantur nonnunquam testimonijs, quę non omnino instituto prę-

xit

tis negotij quadrare videntur. Ego tamen nihil tale colligo ex diuo Hieronymo, nã capitulo. 2. Ioelis in Commentarijs, vbi Hieronymus ait: Hoc tãtũ quęrimus, quomodo & superiora & media, & quæ ſequũtur vſque ad finem voluminis ſibi valeant cohærere; non negat Hieronymus nõ poſſe cohærere cũ ſuperioribus, ſed quærit quomodo cohæreant. Vnde dicit; Videor mihi à principio vſq; ad hunc locũ, textum ſeruaſſe ſermonis: laboris eſt maximi, quomodo quæ ſequuntur, his quæ nunc diſſerimus, coaptanda ſint. Hæc tibi Hieronymus. Quæ nõ fideliter retulit autor ille cuius nomẽ ſubticui. Sciẽs & prudẽs miſſa facio multa loca, vbi iſte damnat multos titulos Pſalmorũ, vt licet videre columna. 332. &. 333. &. 334. &. 335. Quòd quàm temerè & ſine ratione fiat, lege Dionyſ. Carthuſ. & diuum Hieronymum in principio Pſalmorum. Hieronymus enim in proœmio Pſalmorũ dicit, Per titulũ intelligitur vniuſcuiuſq; Pſalmi intellectus. Quid eſt titulus niſi clauis, vt ita dixerim? In domum non ingreditur niſi per clauem, ita & vniuſcuiuſq; Pſalm. intellectus per clauẽ, hoc eſt, per titulum intelligitur, in cuius perſona cãtatur, aut in perſona Chriſti, aut in perſona Eccleſiæ, aut in perſona Prophetę. Hęc ibi Hieronymus. Dũ ergo iſte nouus autor titulos multos Pſalm. cõdemnat, clauẽ profectò veri ſenſus interturbare pertentat. Sed vt iam autorem & eius librũ prætermittamus, vnũ vltimũ locũ illius referam, colum. 627. vbi legit, Mitte agnum domine dominatori terræ, pro dominatorẽ; quod quàm perperam fiat, perſpicuũ eſt in lectione noſtræ Vulgatæ Eſaiæ. 16. Sed iſte autor ſtolidam Iudęorum ſententiã ſequitur, qui hunc locum interpretãtur de tributo quod Moabitæ reddebant Regi Iſrael, quod erat quotannis centum millia agnorum, & mortuo Achab ampliùs non miſerunt: quod faciunt Iudæi vt tenebris & cæca caligine Chriſti myſteria inuoluant. Lege amabò magiſtrũ Leonem in ſuis Commentarijs ſuper Eſaiam perdoctè ſatis hoc confutantem. Lege etiam diuum Hieronymũ in idẽ propoſitum. Intelligitur enim locus hic de Chriſto Deo noſtro, cuius aduentũ Eſaias ardenter deſiderabat. Nã prædixerat Vates ſanctus capitul. præceden-

ti Moabitarum vastitatem, nunc Deum obse crat ne omnes illos deleat, quoniam sciebat filium Dei fore ex genere Dauidis, qui ex Ruth Moabitide genus ducebat. Petra deserti erat ciuitas Moabitarum. Per montem filiæ Sion, significatur Hierosolyma, & per eam Ecclesia, ac si diceret, Ne perdas Domine omnes Moabitas, ex quorum progenie nasciturus est Christus: emitte iam eum qui innocẽtissimus Agnus pro nobis immolatus, hominum facinora suo pretiosissimo sanguine deleat, qui est dominator terræ. Appellari Christum agnum asserit Diuus Ioannes Baptista, & multæ sacræ scripturæ partes hoc sonant. Abeat ergo iste nouus autor, & sua figmenta aliorum mentibus obtrudat libro suo nomine & doctrina pariter nauditis. Qui si voluisset debitum honorem nostræ Vulgatæ deferre, rẽ nobis gratissimã & sibi nõ inutilẽ feciſſet. Sire ctè prę cipiũt, quibus est cura formandi linguã ad eloquentiam, debere sermonem, vt fiat eloquentior, bis venire ad limen priusquàm enũcietur; multò magis oportet eum qui in publicum est eloecuturus aut descripturus sermonem,

nem, qui sit in immortalitatẽ verisimile æstimatione transferendus, diligenter apud sese librare & expendere, vt honestũ sit eloquium quod egressum fuerit de ore eius, aut effusum è calamo. Oportebat sanè hos nouos scripturę interpretes, qui Vulgatam damnant, vel tantorum Patrum venerari consensum, vel tanti temporis antiquitati vlla in parte deferre. Neque enim existimandum est, hactenus qui cumque in templis versati, truncos aut caudices fuisse, vt impietatem contumeliæ illius (si id contumelia fuisset) non potuissent aduertere, neque tam fuisse inertes, vt ab emendatione cessassent impietatis huius, si ipsi contumeliam agnouissent. Estò, quædam tolerant Ecclesiastici, à multis seculis forsitan rudia & barbara minusque ornata, secundum aliquos, sed non secundum meam sententiam; sed falsa, sed contumeliosa, sed blasphema eos tolerare, quis sine mendacio, contumelia, & blasphemia dixerit? Sed videamus an verè contumelia sit, quam isti sic nominant: & certè non est nisi veritas stabilita, sacrisque Patribus persanctè recepta.

Vtinam atra linea confossa ac deleta essent ali qua quæ isti pro sacris venerantur. Non enim erat necessarium, loca inualida reddere (vt isti faciunt) orthodoxis fideisacræ propugnatoribus, vt non inde queant aduersus hæresum errores efficaciter arguere. Multa profectò dicunt, quæ acuta videntur, & non sine ingenio inuenta, neque sine artificio descripta, sed quæ præstabat prorsus eradi & aboleri è chartis, cùm ad ædificationem fidei prodesse non possint, sed obesse tantùm. Quodsi forté id neges, imo prodesse dicas, quòd ostenderis orthodoxis modum, quo possint tergiuersari hæretici, dicito quæso mihi; est hostis patriæ publicus qui in animo certum habet propositum, quot quot è ciuibus suis possit, perdere, rapere, spoliare, interficere: re percepta, qui sunt patriæ & ciuium amatores ad persecutionem exurgunt, & conglomerato exercitu, per ima vallium, per summa montium, per densa siluarum, hostem patriæ diligenter quæritant, qui patriam amant; concluditur tandem in angustum, ita aut è manibus quærentium viam

viam nullam videat euadendi: huic, inquam, si quis eorum qui ad persecutionem exierunt, iniqua miseratione permotus, aliquam demonstret elabendi vel viam vel rimulam, atque ita illius adiutorio elabi possit è manibus persequentium, indubiè alioqui comprehendendus, de iniquo isto monstratore, quale putas proferretur iudicium? laudis an vituperij? vitæ an mortis? nonne & hic velut patriæ proditor æstimabitur, qui patriæ iuratum hostem suis ciuibus male infidelis suo indicio defenderit? Quòdsi dicat ille, poterat etiam si non commonstrassem viam illam per se ipse inuenire, poterit & alio loco comprehendi, non defendi, non adiuui in liberatione, nisi quòd locum indicaui & viam qua fugeret: huiusmodi, inquam, si ille in expurgationem adduxerit, quàm erit benè expurgatus? Rectè indubiè, vt qui se ipsum excusando accuset amplius. Rursum iuratum illum & confirmatum patriæ hostem (vt isupra diximus) persequentium bonorum diligentia conclusum, benè persequentium lancea perfodiendum,

ſi quis è ciuibus defenderit, haſtam illi qui erat percuſſurus hoſtem, è manibus excutiendo, vt incaſſum feratur ictus, aut gladium ferienti excutiat è manibus, ſicque ſaluetur in ciuitatis perniciem, qui ad eius erat ſalutem alioqui perimendus, & huic quanta referetur gratia? Indubiè qualis patriæ hoſti, & ſuorum ciuium proditori debita ſem per fuit. Quòdſi & ille dicat ad ſui expurgationem, fateor lanceam depuli, ſed poterat adhuc ille gladio & bombardis perimi; & hunc quidem gladium vt non in eum diſtringeretur auerti, verùm alij ſupererant, quibus confodi hoſtis potuiſſet; quàm bellè hic videbitur expurgatus? quaſi ſus in volutabro cœnoſi luti bene lota volutaque ac reuoluta. Denique etiamſi iniquo iſto, quem ſupra poſuimus, miſeratore commonſtrante euaſionis viam, & vnius aut plurium aliquot gladios depellente, hoſtis nihilominus ob perſequentium multitudinem, celeritatem & feruorem, manus quærentium non euadat, ſed comprehenſus æquè perimitur, putas ne liber ille & impunitus euadet, qui aliqua in parte

parte, ſiue indicando, ſeu defendendo, illi quem expugnare debebat, impendit quantulumcunque illud adiumentum, etiam ſi nihil, illi cui impenſum eſt profuerit? Ita dico vobis, ô noui Theologi (in charitate fraterna loquor Deo teſte & iudice) nullo modo hoc mihi probandum videtur, quòd ita ſcripturarum ſanctarum loca, è quibus ſolent confundi hæreticorum figmenta, veſtris nouis adinuentionibus potius, quàm interpretationibus ita quæritis explicare, præter, imo contra veterum omnium autoritatem, vt hæretici inde confundi vltrà efficaciter non poſſint, ſi veſtra inuenta contingeret approbari. Huiuſmodi enim quæ præter omnium veterum autoritatem ſunt, & ad pietatem nihil faciunt, ſed tantùm impietati poſſunt conferre, & reſuſcitandis valere hæreſibus, non ego cenſeo nouas interpretationes, ſed adinuentiones magis & fictiones nouitatum, iure nominandas. Non enim ſtatim collaudandus eſt, neque recipiendus, quiſquis nouam aliquam in ſcripturis interpretationẽ adinuenerit, niſi talis illa ſit, quæ vel fidei catholicæ conſtabi-

ſtabiliendæ proficiat, vel moribus ædificãdis, vel aliquam aliam huiuſmodi habeat verã & bonam vtilitatem atq; autoritatem. Cæterũ eiuſmodi nouas interpretationes confingere, & præter omnium autoritatem, imo contra probatiſsimorum Patrũ teſtimonia tales ſententias adinuenire, quibus fidei catholicæ firmitas poſsit infringi, & hæreticis impendi patrocinium, non eius videtur eſſe, qui fundatiſsimæ noſtræ fidei benè velit. Neque mihi ſanè eiuſmodi ſubtilitatis artificium probari poterit vnquã: alioqui laudãdi erũt & hæretici, qui ſubtiliſsimis effictis interpretationibus, nouos ſemper & à rectitudine catholici dogmatis aborrentes ſenſus (vt Iuliano Pelagiano obijciebat Auguſtinus) moliuntur deſcripturis exſculpere, quibus fundatiſſimæ fidei reſiſtant. Vt verò ſupra poſitam ex parte aliqua nunc applicemus comparationem, illud obſecro videte & expendite, dum his modis hæreticis hominibus (indubiè Chriſtiani populi capitalibus inimicis, & Eccleſiæ ſanctæ hoſtibus iuratis & obfirmatis) rimas indicatis, per quas elabi

bi poſsint, è manibus ſtringentium catholicorum defenſorum fidei, quibus locus iſte ſemper promptiſsimus in dimicando gladius fuit, viamque non vnam, ſed plures, qua euadere queant demonſtratis, dum ab eis dimicãtium gladios veſtrarum ſubtilitatum clypeo auertitis, dum haſtam vibratam propugnatoribus fidei excutere quæritis de manibus, vt nõ illos valeant confodere, qui Eccleſiam quærunt demoliri. Quæſo vos per Chriſtum qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, vnicuique redditurus ſecundum opera ſua, quam vobis à catholicæ fidei amatoribus, vt ſanctæ Eccleſiæ, imo Chriſti Ieſu filijs, pro hac reputatis deberi gratiam? Forſitan verò reſpõdeatis. Nos non hæreticis patrocinium quæſiuimus impendere, ſed tantùm lectoribus (quod noſtri erat officij) quis ſenſus accipi poſsit propoſuimus. Quaſi verò non ſint in ſcripturis ſanctis alia teſtimonia Chriſti diuinitatem cõprobantia, etiam ſi hoc loco non confundantur hæretici, eſſe alia cõplura quibus expugnari poſsint. Deniqueſi cui malignari velint, etiã ipſoſmet eiuſmodi euaſionis rimas inuenire

poſ-

posse, idque genus alia poteris forsitan respõ dendo obijcere. Sed quid calidis disimulationibus est opus? Quorsum fictæ istæ & futiles excusationes, ad excusandas excusationes in astutia? Docebit supra posita comparatio & oculari velut inditio demonstrabit, futilia prorsus & inania esse eiusmodi excusationis verba. Solent hi noui autores passim affectare copiam, soletque eis infeliciter quod affectant, cedere. Habent verba huiuscemodi ab his prolata nimium libertatis, plurimum quoque acrimoniæ & irreuerentiæ: quæ ego auribus æquis in sanctam memoriam hominis optimè de scripturis sanctis meriti, nequeo perferre. Optarem sanè verba huiuscemodi, quibus apud posteros derogari possit benè meritorum autoritati, ac venerandæ memoriæ, & ab ore Christianorum nunquam egredi, & è scriptis prorsus eliminari. Sunt enim qui scripturarum studiosi haberi volunt non pauci, verùm eius studij fructum, post multos insumptos labores, post multa annorum spatia, vix vllum reportantes: ij nimirum, qui nunquam aliud

aliud quicquam præter scire desiderantes, neque transeuntes aliquando in affectũ cordis, neque ex intellectis in Dei amorem salubriter afficiſtudentes, spiritu semper steriles permanent atque ieiuni: quorum intima, quoniam humorem salutaris deuotionis non habent, & Sancti spiritus pinguedine sunt vacua, velut arenea contabescunt, vani facti in cogitationibus suis, dum iuxta ea, quę (Deo reuelante) per scripturas sanctas de eo agnoscunt, diuinis afficine gligunt amoribus: quia affectu prorsus terreni sunt & animales, quibus nõ sapit nisi quod carnis est, qui terrena sapiunt, quorum erit gloria in cõfusione ipsorum. Horum verò numerum vt effugiamus, sedulò nobis curandũ est, atque super omnia indefesso orationis studio implorandus Deus, vt quod per nostram cœcitatem ac fragilitatem, per nos ipsos non possumus, eius dono ac munere cõsequi valeamus. Hoc sanè in his iunioribus cogor desiderare, vt in sanctorum Patrũ sint reprehẽsioni bus parci & circũspecti. Nõ quòd negẽ vsquã illos errasse (humani enim nihil ab illis alienum puto) sed quòd illorum nolim citra ratio

nem

nem vanè affectari, aut ſine cauſa admiſceri, reprehenſionem. Atque etiam ſicubi locus occurrerit vnde ſtrui poſsit cauillatio probabilis aut iuſta etiam reprehenſio, malim in ijs potiſſimùm, in quibus periculum nullum ineſt, ſilentio eiuſmodi diſsimulari, ſicq; Patrum (vt ita loquar) verenda, noſtra verecundia tegi, quàm noſtra petulanti inuerecundia aut libertate non bona Patrum dicta aut ſcripta, inſulſis hominibus ridenda propinari. Deniq́ue ſi talis omnino lapſus occurrat, quem ad aliorũ cautionem neceſſarium ac iuſtum videbitur minime occultare, ne in periculoſum errorẽ labantur & poſteri, eiuſmodi, inquam, locus ſi forte occurrerit in ſanctis Patribus, cum quanta fieri poterit reuerentia, ſine riſibus, ſcommatibus, & ſalibus ſimpliciter admoneri ſit ſatis. Scio, hęc eſſe ſcommota, iocos aut ſales omnino negabis. Neq́ue dubito quin vſq́ue adeò irriſor nolis haberi, vt etiam magis è contrario excuſantis tibi gratiam exigas. Intelligunt verò qui caudices non ſunt & ſtipites, amaram ſubtilitatem callidi huius artificij, & bonorũ virorum memoriæ quantùm per huiuſmodi decedat fidei, & quantùm illorum derogetur honori facilimè aduertit, quiſquis communi ſenſu non caret, quiſquis animo eſt ſimplici, nec verborum ſectatur blanditias, neque artificioſis ſermonum compoſitionibus ſupra veritatis ſimplicitatem oblectatur, nihil dubito, latentem amaritudinem illum facilè percipere. Neque verò hæc eò nunc dico, quòd illos velim habere eandem cũ Euangelijs aut Apoſtolorum literis fidem, aut æqualem dare autoritatem, cum ſcriptis columnarum, id eſt, primorum, ac præcipuorum Doctorum Eccleſiæ: non denique vllam autoritatem irrefragabilem, ſed quod pro ſuæ eruditionis dignitate, (qua licet non in peritia linguarum, in ipſa tamen diuinarum rerum pariter atque humanarum cognitione, fuerunt egregiè inſtructi) pro vitæ puritate atque ſanctimonia, proq́ue immenſis & inexhauſtis laboribus, quos ſacris literis explicandis, pro ſua virili quantùm illorum ſeculum patiebatur, impenderunt, illorum memorię deferri velim, & pro non cõmeritis ſcommatibus, debitam exoptem referri gratiam: quos ſicut ingenuè fatemur ſanctarum

ctarum ſcripturarum non per omnia rectam nobis intelligentiam & ſemper germanã vbique reddidiſſe, ita fateri omnino oportet, niſi irrationabilibus quoque belluis ſimus ingratiores, illorum ſudoribus noſtros labores ex bona parte, ſi non ablatos, vt minimùm, vehementer factos leuiores, qui ante nos in ſanctarum ſcripturarum explanatione laborantes, aſperrima quæque paſsim obuia, ieiunijs, vigilijs, orationibus, aſsiduiſq; meditationibus, ſi non planiſsima, certè planiora reddidêre, atq; vt non omnia, proculdubio plurima. Noſtro igitur ſeculo, nobiſq; poſteris, ſi quid relinquere voluit prouidiſsimus ſeculorũ diſtributor (nulli enim Deus omnia donat) quod noſtra opera poſſet hactenus non explicatum, explicari, ſiue etiam vtcunq; interpretatũ, rectiùs interpretari, proponatur ijs quibus reuelat omnia Deus, proponatur inquam, ſanctarũ ſcripturarum amatoribus, cum modeſtia & reuerentia illorum laboribus promerita, & gratiarum actione illi debita, à quo eſt omnis recta ſanctarum ſcripturarum intelligentia. Sed nos iſta, ſanctę veritatis amore & venerã-

dæ

dæ antiquitatis zelo permoti, prolixiùs forſitã quàm oportebat, & ratione & querimonia protraximus. Illud non omittam dicere, quòd iſti, dum dictionis claritatem ſectantur & ornatum, fugientes vſitatum ſcripturis Latinis vocabulum, ſententiæ veritatem, aut vt minimum, plenitudinem perdiderũt. Prôh dolor, Origenem reprehendunt, quòd fuerit Septuaginta ſecutus: imo omnes Doctores Græcos falſitatis inſimulant, & quòd non fuerint literalem ſenſum aſſecuti, quia multa, non de Iudæis carnaliter, ſed de Chriſto ſpiritualiter intellexêre; & meritò quidem, cum litera legis occidat, ſenſus autem viuificet. Nec minùs Hieronymum reprehendunt & Origenicum clamant, quòd Origenẽ fuerit ſecutus. Quòd quàm ſubdola fraude fiat, perſpicuum euadit ex his, quæ iſti pro Rabinis, contra ſacros autores machinantur. Noſtra verò editio Latina, quæ modo in Biblijs Latinorum vulgatis legitur, neque per omnia Hebraicæ exactè reſpondet veritati, neque editioni Græcæ per omnia conſentit, ſed quaſi inter vtramque media, imo ab vtraque ſecũdum literæ ſuper-

ficiem ex parte aliqua diſcedens; paraphraſticè nõnunquam ſenſum exponit veriùs, quàm reddat literam. Id quod facer ipſe Hieronymus, qui eius autor creditur, apertè ſatis teſtari videtur, cũ in præfatione libro huic in vulgatis Latinorum Biblijs præmiſſa, ſuas, Paulam & Euſtochium alloquens, ait, rogatum ſe olim à ſancta Bleſilla, vt in morem commẽtarioli obſcura quæque diſſereret, vt abſque ipſo poſſet, quæ legebat, intelligere; poſt illius obitum, & illius memoriæ, & ipſis reddere quod debebat. De his plura quidem piè & eruditè te docet inſignis magiſter Leo celeberrimis illis commentarijs ſuper Eſaiam. Quæcunque enim autores ſacri, ſpirituali intelligẽtia interpretantur, flocci pendunt & nihili faciunt talem interpretationem hi noui Gymnaſiarchæ: quod magis eſt Iudaiſmum ſequi, nomine Chriſtiano, quàm Chriſtianiſmum. Quòd ſi ita res habet, miror hos, cur non vituperauerint Ioannem Euangeliſtam, quòd Apocalypſeos cap. 22. Omnia de cœleſti Hieruſalem interpretatur, quæ ædificatur viuis è lapidibus. Et illud, Soluite templum hoc. Vbi Chriſtus non loquitur de materiali, ſed de ſui corporis templo. Eantergo nunc hi & reſpuere audeant ſenſum illũ verè literalem, cùm ſpiritualiter enodetur, & non carnaliter. Si cites eis Ambroſium, dicere ſolent, omnia cõpilat ex Origene. Si Hylarium, hunc vituperat (inquiunt) D. Hieronymus. Si Auguſtinum, contrahũt frõtem. Grẽcos in vniuerſum dãnant. Quòd ſi nemo ex Doctoribus Eccleſiẽ placet, nec D. Paulus placebit, quidediſſe, ait, Spiritũ ſanctum, quoſdam Prophetas, quoſdam Apoſtolos, quoſdam verò Doctores. Mittant ergo poſthac, ſi Chriſtiani ſunt, ſingulos Doctores ſacros cùm citantur, contemnere, hunc, hac cauſa, illum, illa; fatentur Doctores Eccleſiæ eſſe, ne palàm aduerſentur Paulo in vniuerſum, ſigillatim non magni pendunt. Hi nunc & illis fidem habent, qui Doctores ſacros Latinos, Grẽcoſq; contemnunt. Admirãtur Iudæos, & ipſi, ſi nõ Iudaizantes, ſaltẽ in Iudẽos declinantes, expetita & optata noua tranſlatione. Præſeferunt ſibi non placere tranſlationem D. Hieronymi neque Septuaginta virorũ; punctis, velut obelis editionem Hebræam

plurimis locis confodere, & noſtram tanquã parum fideliter verſam, neſcio quo prætextu pertentant. Oſtendimus enim iam Iudæos & Hæreticos non ſolùm malitioſè interpretari locos ſcripturæ, ſed etiam vitiare, quod Cõcilia falſare & deflorare dicũt. Neq; Cõcilia tãtùm id teſtãtur, ſed & veteres Patres id cõqueruntur, & fœdiſsimis nominibus hos homines appellant, furioſos, Iudaizãtes, alijſq; id genus nomenclaturis: vt quorum prauam opinionẽ receperunt, eorum quoq; vocabula ac nomina accipiãt. Lege de hoc Athanaſium, oratione 2. & 5. contra Arrianos. Negant rurſum Iudæos, fraudes aut dolos in vitianda ſacra ſcriptura eſſe molitos, vbi perexiguo literarum inflexu, aut perexigua mutatione, aut diſtinctione, interpretatione, aut alijs dolis fieri potuit, nunquam operæ pepercerunt, vitiarunt ſemper & obſcurarunt quæ potuêre omnia de Chriſto oracula. Nam vt docet Clemens Alexan. Stromaton lib. 3. omnia peruertunt varijs dictionum apicibus, varia interpũctionis diſtinctione. Eugubinus, Iudæis non admodum inimicus, fatetur Iudæos vbi perexigua

gua mutatione fieri potuit, vitiaſſe multa. Fatetur id Vatablus, cùm multis in locis, tùm Eſaiæ 63. Idem docet pluribus verbis Galatinus lib. 1. Auguſt. in Pſalm. 63. interpretans verba illa, Et mentita eſt iniquitas ſibi. Lege Ioſephum lib. 14. antiquitatum, cap. 12. Ità Iuſtinus, proximus temporibus Chriſti, aduerſus Triphonem, docet Iudæos miſiſſe legatos in totum orbem, vt vitiarentur ſcripturæ continentes firma vaticinia de Chriſto. Et ipſi Iudæi fatentur id factum quibuſdam in locis, vt potes legere in Theſauro, in dictione zamar, vbi Rabbi Dauid id confitetur. Amẽt ergo hi noui magiſtri ſacros Doctores, & non, ſi quæ exciderunt dicta aliquantulum negligenter, velut à roſario ſpinas decerpant, quibus ſe, & eos, qui eis adhærent, ſauciant, relinquentes roſas & flores. Hoc dixerim propter quendam qui muniebat ſe dicto Chryſoſtomi, ad negandum ſenſum Allegoricum propriè contineri illis verbis Paulinis ad Galat. 4. Quæ ſunt per Allegoriam dicta. Aiebat, inquam, ille diuum Paulum impropriè ibi locutum, quia Chryſoſtomus ait ibi,

Abusiuè figurã dixit Allegoriá. Quod Chrysostomi dictũ (cum bona venia) mihi nõ quadrat. Nã quæ est Allegoria scripturę, si illa nõ? Quotquot locum illum cõmentantur, ita docent: nec quis sequitur Chrysostomum præter hunc, cui nõ deberet tanto perenotamentũ Chrysostomi placere. Multa enim reperiuntur aliquando in Doctoribus, quæ sunt nobis exponenda, nõ tamen imitanda, quale est hoc dictum Chrysostomi: sicut & alia quæ idem Doctor asseruit, in quibus est exponendus, ne dicam corrigendus. Homil. 7. in priori Epist. ad Corinth. ait, dictum illud, Quòd oculus non vidit, neq; auris audiuit, neq; in cor hominis ascendit, &c. non inueniri in sacra scriptura, nisi fortè in libris, quorum memoria obliterata est, cùm tamen apud Esaiam cap. 64. illa verba inueniantur. A seculo (inquit) non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te. Idem Chrysostomus super illud Matth. Mater tua & fratres tui foris stant quærentes te; & super illud Ioannis 2. Vinum non habent; & super illud Psal. Non est qui faciat bonum; dicit, quòd Virgo Maria fuit ambitiosa & vanę gloriæ cupida: quod profectò nefas est dicere, de sanctissima Dei genitrice. In his ergo, & alijs id genus, non imitari Doctores, per sanctum & religiosum est: carpere autem eos qui in sacris literis summa cum laude operas suas locarunt, non omnino rationi consonum est. Hoc dixerim, quia quidam ex ijs nouatoribus rident Nicolaum Lyranum, Abulensem, Dionysium, imo & Glossam, quam vocamus ordinariam. Et videntur eis isti autores digni ita, vt tam illepido lepôre ludum & iocum faciant eos sibi. Nos verò quanquam grauatè admodum ista audiamus, ferimus tamen, neque in animo est quicquam reddere vel salsiùs vel acerbiùs. Eiusmodi salsissimi ioci, risus nimium amari, & facetiæ supra iustum mordaces, neque ad mores bonos, vel ad vitam bonam pertinent, aut vobis cæterisve in aliquo conferunt, atque haud scio num huiusmodi, Christianæ charitati, mansuetudini atque modestiæ satis consentiant: ac proinde malè metuone Christo domino vel prorsus displiceant. Certè vt

placere admodum posſint, non video, nolim tamen ante tempus ego fieri iudex, ſciens quod ſcriptum eſt, Quoniam domini eſt iudicium. Profectò ſi (vt ſatis opinamur & probabili exiſtimatione credimus) huiuſmodi viros ſecum intra cœlorum regna ſuſcepit altiſſimus omnium Dominus, quos dum nobiſcũ in vita degerent, perpetuo ſtudio ſacris incubuiſſe ſcripturis cognouimus, ab omnibus verò mũdi & carnis corruptionibus, amore cœleſtis ſapientiæ & Chriſtianæ Philoſophię, ſtudioſè ſemetipſos elongaſſe, ſi, inquam, tanto eos Dominus noſter eſt dignatus honore, vt vita functos in ſuę beatitudinis regnum dignanter ſuſceperit, nos miſeri & in peccatis noſtris ſordidi, qui tales ſumus, quales nos Deus nouit, pariter & cõſcientia, id eſt, innumeris peccatorum miſerijs, & paſſionum infirmitatibus malè ſubditi, quid illorum derogamus honori, quid opinionem doctrinę illorum minuimus? Ob id ſolùm quòd non ita compta fuerint lingua, & ſermonem non ita exculto, vt modò exigunt, qui linguis, vel ſolis inſtructi, ex ipſis omnia iudicant. Quomodo enim ſeruis

uis Dei liceat, illos tametſi vita corporis defunctos, ludum ſibi & iocum facere, quos (quantùm humano iudicio ex ante acta conuerſatione & bonarum operationum indefeſſo ſtudio cognoſci & ſciri poteſt) piè credimus apud Dominum in ſummo ſuſceptos honore, quos ipſe Reges habet & Sacerdotes ante conſpectum diuinæ maieſtatis ſuæ. Veſtrũ interrogo, optimi viri, iudicium, ſi Imperator quiſpiam aut Rex magnus, virum habeat ſibi apprimè dilectũ, cui & præcipui honoris atq; familiaritatis intimæ exhibeat indicia, menſæ ſuæ illum aſſidere iubens, de ſua illi menſa ſacietatem donans, veſtimentorum gloria, tanquam vnum è maximis ſuis principibus adornans, denique omnem illi ſuam gloriam manifeſtans, nihilq; eum celans, ſed totum ſe illi plenisſimè & familiariſsimè exhibens, videat autem hunc ipſum, dum ſiue ad Regiam menſam aſſidet, ſiue cum ipſo colloquitur familiariter, à mangonibus aut mulionibus, aut id genus alijs infimæ ſortis ſuis ſeruis illudi, & falſa in illum iactari ſcommata, factum eiuſmodi quomodo placiturum putatis principi

cipi

cipi domino? AEquiſne oculis Rex aſpiciet ſibi peculiariter familiarem & egregiè charum, ſuis ſeruulis ludum fieri? Nos itaque qui in hoc miſerando ac fœtido adhuc verſamur terræ ſtabulo, vbi ſtercoribus fœtent ac ſordent omnia, non conuenit vlla ratione illis in iocũ abuti, quos ſingulari honoris priuilegio donauit altiſsimus omnium. Sed dices, quis illos nobis comprobabit cæleſtes introiſſe mansiones? Vt illud certò aſſeuerare nõ poſſumus, qui occulta iudiciorum Dei non nouimus, ita de his quorum memoriam bonam nobis reliquit poſteritas, de quibus præter virtutis ſtudium nihil prorſus audiuimus, neq; vel errore hæreſeos, vel alterius cuiuſlibet vitij fœditate, ſuo nomini maculam vllam cognoſcuntur intuliſſe, mihi videtur Chriſtianam charitatẽ (quæ non ſuſpicatur malum, neq; iudicare nouit temerè etiã in carne viuentes) hoc expoſtulare, vt de eiuſmodi pia ſanciamus credulitate, quod eſt vero ſimilius, recepiſſe videlicet eos pro bonis operibus, ęternę felicitatis mercedẽ beatã. Quoniã enim in omnibus ſcriptis, præter humilitatem, ſimplicitatem, & mãſuetudinem, fidei ſynceritatem, & veritatis zelum, nihil reperimus, iuſtum eſt, vt ętiã ſi nullis claruerint miraculis, bonam de illis habeamus opinionem, ſcientes, quoniam vnuſquiſque mercedem accipiet ſecundum opera ſua. Si cui ridere libet, aut cachinonẽ agere, habet quibus familiariter adhuc in terra conuiuit, corpore ſecum diuerſantes, in quos vtcunque impunè iocos, ſales, & ſcommata forſitan liceat effundere. Cęterùm omnino ampliſsima illa ſit oportet, & non ferenda ſplenis petulantia, cui terra non ſufficiat, niſi & in cœlos moueat digitos, aut exerat linguam. Modeſtiùs quidem egiſſent hi viri, ſi ceruices ſuas iugo catholicorum Doctorum in exponenda ſcriptura ſubdidiſſent. Sed prôh dolor, flocci pendũt ſanctorum expoſitiones, in hoc vnum nauantes operam, vt ex Rabinis nos doceant expoſitiones tortuoſas, & à limite veritatis longè alienas: hinc eſt quòd negãt in Veteri teſtamento ſenſum haberi literalem de vita æterna, & de ſupplicio æterno. Nam vt vnum pro multis exemplum proferamus, illud Pſalmographi, Gratiam & gloriã dabit dominus; detorquẽt

in alienum ſenſum ab eo, quem docent ſacri Doctores, de gratia gratum faciente, & de gloria. Et miro modo conſentiunt Vatablo alioꝛſum exponenti. Idem faciunt de illo, Quoniã non eſt in morte qui memor ſit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi? adhærentes etiã Vatablo qui pro inferno, vertit, in ſepulchro, imo contra mentem ſanctorum & autorum de inferno propriè interpretãtium: ſicuti etiã Hieronymus concorditer & cõſtanter vertit ſecundum vtramq; lectionem & Græcam & Hebræam, ſecundum quas vniformiter dicit, in inferno autem &c. Et ſic poſſem hic myriadem exemplorum proponere. Sed quid mirũ ſi hi nouitatum affectatores, expoſitioné ſanctorum poſthabeant, cum ea quæ à ſede Apoſtolica ſunt decreta, peſſundent? Nam Alexander primus, Epiſtola 1. Decretali, ad omnes orthodoxos, quę habetur 1. tomo Conciliorum. probat myſterium Trinitatis aliquot teſtimonijs ſcripturæ, è quibus vnum eſt, Benedicat nos Deus, Deus noſter, Benedicat nos Deus. Et Papa Benedictus primus probat ſua Epiſtola Decretali, quę habetur 2. tomo Conciliorũ pro-

probat, inquam, ex ſacris literis Trinitatem multis autoritatibus, è quibus eſt eadem vna, Benedicat nos Deus, Deus noſter, Benedicat nos Deus. Qui Pontifex ait. Quas ob cauſas, dilectiſsime fili (ſcribit enim Epiſcopo Dauid) conſulta tibi Apoſtolicæ ſedis miſimus, vt aut his eos ad rectam fidem cõuerti facias, aut ab Eccleſia, antequàm peſtis hæc latiùs diuulgetur, repellas. His, frater, ſcripturarum teſtimonijs vnitatem Trinitatis agnoſce, & deſine Arrianorũ prauitatem ſequi. &c. Vide hos duos Summos Pontifices autoritates has, pro illa veritate aſſerenda, copilantes, tanquam argumẽtum efficax à ſenſu literali aſſumentes ad confirmandum dogma fidei Trinitatis. Hi tamẽ omnia audentes, non verentur profiteri, quòd illo teſtimonio non probetur Trinitatis myſterium. Et certè ni fallor, (fallar vtinam) ſi è Rabinis quiſpiam illud aſſereret, forſan libentiùs ſeipſos in talem ſenſum manibus & pedibus dediſſent. Miſſa facio multa alia quæ ad præſens propoſitum non eſſent diſconuenientia, illa tamen tacitus præteribo, ne videar potiùs mordacem & ſatyricum agere, quàm Chriſtianum

ſtianum & modeſtum aſſertorem noſtræ veteris & Vulgatæ editionis, quod erat munus mihi à principio pro ſcopo propoſitum. Certè ſi noſtra Vulgata iure à Concilio ſancitur Authentica, conſtat eam certam & infallibilem in omnibus & ſingulis ſenſibus & verbis. Authenticũ enim inter alias acceptiones iure dicitur, quod ſuo prototypo & Originali legitimo & non vitiato per omnia conſonat, vt ſupra propalauimus. Et cum dicat Cõcilium, quòd noſtra Vulgata pro Authentica eſt habenda, ita vt nemo illam audeat reijcere quouis prætextu, profectò cõſtat eam eſſe cuiuſdam intemeratę & illibatæ veritatis. Nec oportet denuo ſedem Apoſtolicam de hoc cõſultam, veritatem hanc diffinire, cùm ſit iam decreto Concilij decreta, & extra omnem litem emancipata. Quod quidem nõ ſolùm vtile, ſed neceſſarium eſt ita fateri. Et Concilium non ſolùm determinat hanc editionẽ eſſe meliorem negatiuè, omnibus quę circũferuntur, ſed meliorem poſitiuè, quia non ſolùm nulla melior ea, ſed ipſa omnibus quę habentur edi

tioni

tionibus, & quæ haberi poſſent, melior eſt & optima. Et hic mihi eſt germanus ſenſus textus Concilij, cui ſemper adhærebo, niſi aliud me doceat mater Eccleſia. Autores tamẽ quorum quidam præcedentes Concilium, quidã verò ſequentes, oppoſitum docuêre, non minimam anſam errandi, errantes & ipſi, præſtiterunt: è quorum libris abradenda ſunt quæ in contrarium dixerunt. Iuniores enim aliqui tranſcribẽtes (vt moris eſt) placita aliorum in hanc peſtiferam labem prolapſi ſunt. A nobis tamen ſtant alij autores, quos ſupra memorauimus, ſtant etiam à nobis aliqui qui ſuperſtites reſtant Epiſcopi, qui decreto illius Concilij interfuerunt. Reſipiſcant ergo qui deſipuerunt, ne quiſquam poſt hac tale quid audeat aſſerere, ſed pro ſacris Biblijs magis quàm pro aris & focis pugnemus, & ſacrum volumen noſtræ editionis, vt diuinum quid, exoſculemur, & vt rectã regulã, & nõ obliquam ſequamur. Vide quanto timore correptus eſt videẽs rubum ardentem, nec permiſſus eſt accedere, niſi calceamentis depoſitis: & arcam illam, tabulas, virgam, & vrnam continentem, quis

intrepidè tangebat? Legitimum olim patribus legimus & diuino iuſſu ſolẽne, vt inter populum & arcã legis, ſpatium duorum milliũ cubitorum interiaceret, nec vlli propius accedere fas eſſet: & qui ei manum officioſus admouerat, ne eam boues excuterent, pœnas temeritatis ſuæ interẽptus dedit. Quantò magis oportet reuereri ſcripturam ſacram de Chriſto & de eius myſterijs differentem, in Lege veteri, etiã in ſenſu literali patribus promiſſo, aliquot, imo pluribus in locis. Nam licet Vetus teſtamẽtum, maximè in Leuitico & Deuteronomio ſub figura temporalium promitteret æterna, hæc tamen erant pręcipua promiſſa. Nam cũ præmium illud, eſſet pro exercẽda virtute, & præmiũ non debeat eſſe inferius merito, liquidò cõſtat, æternũ præmiũ & principalius pro merito virtutis, ęternã vitam eſſe. Temporalia enim illa figurantia ęterna, excitamẽta potiùs erant ad virtutem quàm pręmia virtutis; ſicut diſtributiones quotidianę excitant & mouent præbẽdatũ, vt adeat canonicas horas præmiũ tamen illius exiſtentiæ ſimpliciter & principalius, non ſunt diſtributiones. De quo mira dicit diuus Thomas & docet 1. ſecũdæ & ſuper Epiſt. Pauli potiſsimũ tamen 3. ſentent. diſt. 40 q. 1. & alibi pluries. Quodſi libri Sybillę Cumanæ tantò in pretio habebantur, vt nemo quicquam auderet in illos, autore Varrone in libro quẽ de rebus diuinis ad Caiũ Cęſarẽ dedit, vbi aſſeritur, quod libri ſybillæ Cumane ſit à Romanis occulebatur, quod fas nõ eſſe prętereà quinquaginta viris eoſdẽ inſpici quid dicemus, de noſtra ſcriptura Canonica? Cum tantùm hæc diſtet ab illa, quantum à prophanis ſacra. Et certè Dominus cõminatus eſt Apocalypſis cap. 22. Cõteſtor enim omni audiẽti verba Prophetię libri huius; ſi quis appoſuerit ad hęc, apponet Deus ſuper illũ plagas ſcriptas in lib. iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto. Maximé cũ horum expoſitiones ſint additiones, diſtrahentes & alienãtes: & vt dicit Hieronymus in Epiſtola ad Aug ſi ad ſacras literas admiſſa fuerint, vel officioſa mẽdacia, quid in eis remanebit autoritatis? Nolite ergo, ò viri, alioqui docti, interſerere nobis ſpinas

ſpinas & vepres Rabinorum, ſed amplexami ni ſcripturam, omni ſorde defecatam, puram, integram, ſynceram, & talem, quæ ineluctabi le teſtimonium de Chriſto ferat. Vaticinijs & vmbris in veteri lege promiſſum, & apertè & clarè in Euàgelica lege nobis præſtitum & exhibitum reſonent omnia interpretamenta ſcripturæ quoad fieri poterit, (poterit autem pluries) Chriſtum Dei & hominum meditatorẽ, gratiæ autorem, & totius boni fontem & originem, cui per omnia ſit laus & in ſecula honor amen.

QVAE-

QVAESTIONES

ALIQVOT, QVÆ HVIC TRACTAtui non ab re interſerendæ viſæ ſunt, vtpote quæ eius argumento conueniunt.

QVAESTIO I.

Cum Domini eloquia lucida ſint, oculoſq; illuminantia &c. Quare tam ſæpe obſcura atque involuta eſt ſcriptura ſancta?

REſpondetur. Primò, in cauſa ſunt figuræ, quæ Chriſtum, & ipſius actiones, & nouam gratiam, Gẽtium vocationem, primogeniti Iſraelis ruinã præfigurabant; ne Hebræi legentes libros ſacros igni traderent, non ſuſtinentes tot ac tanta cõtra ſe ferri teſtimonia, ſed fidi cuſtodes eſſent, eorũ, quę ignorabãt. Hoc Dei conſiliũ explicuit Eſa. c. 48. Neq; credidiſti, neq; à principio aperui tibi aures tuas, nouerã enim quòd inobediens non parères. Paulus etiã Colloſ. ſcribens, vocationem Gentium myſterium abſcõditum à ſeculis vocat. Petrus Act. 10. id ignorabat, donec à Domino accepit nodi ſolutionem.

nem. Quamuis & in nonnullis ſcripturæ ſanctæ locis Domini Spiritus id abundanter expreſsit. Deut. cap. 32. Ipſi me prouocauerunt &c. Et Pſalm. 17. Populus quem non cognoui, &c. Legatur diuus Hieronymus in Ezech. cap. 27. Seniores plurimos à Deo eſſe probatos, & iuniores electos, in typum Eccleſiæ, & ſynagogæ, Cain Abel, Iſmael, Iſaac, Eſau, Iacob, Ephraim, Manaſe, Iudęorum populus, & Gentium.

Deinde, ſcripturæ obſcuræ ſunt, quòd idioma Hębraicum diuerſum eſt à Latina & Gręca linguis: legatur Hieronymus ad Epheſ. 4. ſuper illud, Donec occurramus &c.

Deinde, quia omnis Prophetia priuſquàm habeat efficaciam, ænigmaq; & ambiguitas ſunt hominibus, quæ à rerum exitu, atque fine rectè ſignificatur. Legatur Ioan. 2. capit. Recordati ſunt diſcipuli eius &c. Et cap. 12. Hæc non cognouerunt &c. Ita philoſophandum eſt de Ioannis Apocalypſi, & de extremis Danielis viſionibus, donec eueniat, quod prophetatum eſt, & tunc prophetiæ habebũt liquidam intelligentiam. Danieli dicitur, Muni ſermones &c. Ieremiæ ſimiliter, 23. In nouiſsimis diebus intelligent ea. &c. Quæ ergo fabulæ habentur nunc Iudæis, nobis Dei gratia, theſaurus abſconditus in agro, Chriſti cruce reuelatus, atque explanatus, ditans hominum ſenſum, Dei ſapientiam oſtendens, & eas quæ ſunt erga homines, diſpoſitiones manifeſtans.

Deinde obſcuræ redduntur ſcripturæ, Hyperbatis, id eſt, longioribus verbi tranſgreſsionibus, quod de Paulo Irenæus adnotauit lib. 3. aduerſus hæreſ. cap. 7. Exempla ſunt in eo crebra ad Rom. 1. de filio, qui factus eſt &c. per longũ. 2. ad Theſ. de Antichriſto, tunc reuelabitur &c. Et quòd diuus Paul. interdum vtatur elocutionibus confuſis, & minus explicitis, autor eſt Orig. in præfatione Epiſt. ad Rom. & ſimiliter Ecumenius obſeruat. Adduci poſſunt tria loca ex Paulo, Epheſ. 3. Heb. 1. Pſalm. 30. Obliuioni datus ſum &c.

Deinde, hæc obſcuritas dimanat, quód variatis repente perſonis, ſoleat aliquando ſuperioris intellectus conſequentiam non tenere. Quod de Prophetis affirmauit diuus

Hieronymus in Naum cap. 2. Celebra Iuda, &c. Item. Pſalm. 80. idem, Hieron. obſeruat. Pſalm. 2. & Pſalm. 119.

Deinde, quæſtionibus maximis in ſcripturis inuolutis, maximè de Deo ſancti eloquij difficultas oritur, & augetur. Dionyſius, lib. cæl. hierar, capit. 2. Deum aptiùs per negationem dicitâ nobis cognoſci, vt quòd non ſit comprehenſibilis &c. Et Cicero. 1. de nat. deorum refert de Simonide, quòd inquiſitus à Tyranno Hyerone, quid eſſet Deus, poſtulauerit diem vnum, ac poſt alterum, & deinceps, quaſi id nullo tempore explicari poſſet, & quantò id cogitaret vehementiùs, tantò ſibi obſcuriùs haberetur adreſpondendum. Huic conſonant Eſai. 4. & Salom. Eccleſ. 5. Legatur Valerius maximus, libro 3. capit. 7. de Phydiæ ſimulachro. Melius Dionyſ. capit. 2. myſticæ Theologiæ, quòd non ideo eſt omnino deſperandum.

Vltimò redditur difficilis ſcriptura ſancta, tot figuris, allegoriis, ænigmatibus, tranſlationibus, atque parabolis, quibus vtitur crebrò. Obſeruat id Tertul. libro 3. aduerſus Martionem, obſeruat & Hieronymus Eſaiæ 8. Legatur de hac tota re Clemens Alexan. Stromatõ 6. folio 16. Hieronymus in prologis ſuper Prophetas. Vt quod de Paulo peculiariter dixit Petrus, commodè nos ad omnem ſcripturam transferamus, quòd ſcilicet ſint in ipſis multa difficilia, quicquid Lutherus oblatret, qui putat ſcripturam ſanctam omnibus peruiam.

QVAESTIO II.

Cùm ſapientiæ delitiæ ſint cum hominum filijs cõmorari, quare figuris totties ſcriptura ſancta vtitur?

Reſpondetur. 1. dicit Hieronymus ſuper Eſaię. caput. 18. vt prouocemur ad intelligentiam Petite dicitur, Matthæi 7. Vobis datum eſt, Matth. 13. & ibi Theophylus, Petebant Apoſtoli; Domine doce nos orare, ediſſere nobis parabolam. Matth. 13. Philippus quærit ab Eunucho, Putaſne intelligis &c. Act. 8. Legatur Hieronymus, in Commen. in Ezechiel. cap. 4. Origenes Hom. 7. in Ezech. prope finẽ. Igitur ſcripturæ ſanctę difficultas, teſte Hieronymo Daniel 11. maxima eſt, cuius intelligentiam

abſque Dei gratia, & doctrina maiorum, imperitiſsimum eſt vẽdicare. Idem obſeruat Ammonius, quamuis ſciamus, teſte Aug. lib. 1. de Doctrina Chriſtiana, ſanctum Antonium, & ſeruum quendam barbarum nullo docente, literas plenè didiciſſe.

Deinde, vt ait Theophylactus Lucæ 8. Parabolis ſiquidem attentiores auditores reddũtur, atque excitantur. Nam vt dicit Ammonius in præfa. prædicab. Semper comprehenſum atque obſcurè traditum amat Ariſt. Pythagoras, certis Symbolis voluit Philoſophiæ arcana contegere, & à promiſcua plebe arcere, quorum nonnulla Plutarchus recenſet in libro de inſt. puerorum.

Deinde, vt diſpenſante mirabiliter Deo multipliciter exponatur. Ita Greg. Homil. 10. in Ezechiel. Ita Hieronym. Epiſtol. de virginit. ad Euſtoc. Ita Auguſtin. Epiſtol. 59. in vltimis verbis. Quæ & inculcat in præfatione 2. Pſalm. 18.

Deinde, profunda myſteria in ſcripturis ſanctis ad hoc abſconduntur, docente diuo Aug. in præfatione Pſalm. 140 ne vileſcant; ad hoc quæruntur, vt exerceant; ad hoc appetuntur, vt paſcant.

Deinde, ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio reuocãdum; ſicut enim in locis apertioribus Spiritus ſanctus fami occurrit, ita in obſcurioribus faſtidia detergit. Verba ſunt diui Auguſtini libro 2. de Doctrina Chriſtiana, capitul. 6. Legatur Theodor. Sermone 10. de prouidentia, circa principium in expoſitione illius loci, 1. Corinth. 8. Scientia inflat.

Deinde, vt parabolis firmiùs res diuinæ memoriæ hæreant. Ita Hieronymus, ſuper Matt. 18. Ita Chryſoſt. Hom. 45. in Matt. & vt expreſſior, propter ſimilitudines, ſermo, res ipſas ante oculos apponat. Qui dicendi modus Prophetis tritus eſt. Hæc Chryſoſt. Hãc ob cauſam, dicitur Pſal. 68. Poſui veſtimentũ meum ciliciũ, & factus ſum illis in parabolã, & 3. Reg. 9. Erit Iſrael in prouerbium. Et ex hac conſuetudine trahitur hoc nomen ad ſignificandum ſimplicem ſermonem, abſque vlla comparatione.

Deinde, vt eſſet, quòd doloſis hominibus & Phariſaicis animis celetur. Ita Tertulianus libro de Reſur. carnis, folio 8. Ita Theoph. ſuper

Ioan-

Ioannem 4. idẽ ſup. Matth. 13. & Chriſtus Dominus, vt videntes non videant &c.

Deinde vt varietas locutionis faſtidiũ tollat veritatis. Ita Hieronymus, Epiſt. ad Damaſum de filio prodigo. Ita Theodor. Ser. 2. de prouiden. Huius rei legatur exemplum Hieronymi in Epiſt. ad Algaſiam. q. 6.

Deinde, ne paſsim pateat ſanctum canibus, & margaritæ porcis, & prophanis ſancta ſanctorum, ita Hieronymus, Naum. 3. Dionyſius capitul. 2. de Cæleſti Hierar. & in principio & in cap. 2. Eccleſiaſt. hierar.

Vltimò, vt diuinus ſermo humanæ imbecillitati ſeſe attemperet. Sicque eiuſmodi ſimilitudinibus ſimplices animos ex rebus cognitis facile ad maiora, veluti per gradus diuina manus erigat. Id obſeruat Chryſoſt. Homil. 38. in Matth. Legatur hac de re Cyrillus lib. 1. contra Iulianum Auguſtum.

QVAESTIO III.

Cùm Dñi ſermo verax ſit, lõgèq; abſit á fictione, & mẽdacio, nũ parabolæ, quibus ſcriptura ſancta vtitur, ficta ſunt, mendaceſque appellãdæ?

Reſpondetur cum diuo Auguſt. libro 2. quæſt. Euangel. quæſt. 51. Non omne, quod fingimus mendacium eſt, ſed quando fictum nihil ſignificat: alioqui ſi fictio noſtra refertur ad aliquã ſignificationem, non eſt mendacium, ſed quædam figura veritatis, cuiuſmodi ſunt Euangelicæ parabolæ, confictæ quidem, & compoſitæ, non tamen mendaces. Neque contraria ſententia Damaſceni in ſermone, de his qui in fide obierunt, aſſerentis eas Chriſti parabolas fuiſſe rerum exiſtentiũ, mihi probari poteſt, quãuis exempla, quæ ad id probandum de omnibus inducit, vera ſint de his, qui ibi proponuntur ſolùm: Putà, pauperis & Lazari, & diuitis epulonis, & Abrahæ. Neque ſequi volo in hac parte Theoph. qui negare auſus eſt, (non abſque piaculo) parabolam diuitis eſſe fictam, & nõ hiſtoriam, Lucę 16. ſed amplectamur Chryſoſt. diffinitionem, in homil. in Luc. de patre, & duobus filijs. In hiſtoria nomina propria ſolent inſeri, in parabolis minimè, vbi tantùm exemplum ponitur, & nomina tacentur. Obſeruat id Origines in lib. Iob. Neceſſariò, inquit, nominis Iob mentionem fecit Moſes, qui libri autor eſt, ne ſi hominem ſolummodò diceret,

ceret, argumẽtum aliquod finge re exiſtimare tur. Igitur cum Aug. dicamus, Sępe à Domino exempla proponi compoſita, vbi nulla nomina propria exponuntur, quę non ſunt rerũ exiſtẽtium, ſed ſignificatiua rerum excellentiorũ multò, quàm eſſent ipſæ res, ſi forent. De miraculis vero Dñi, teneatur cum diuo Gregor. ſic vtique eſſe accipienda, vt & in veritate credantur facta, & per ſignificationẽ aliquid innuãt. Sed caueat pius homo, ſincerèq; Chriſtianus animus, parabolam vocare fabulam, quoniã hoc nomen fabula, quamuis iuxta propriã, nominis ſignificationẽ rem vulgatam atq; verã à fando dictam ſignificet, tamen nunc ex vſu communi & protrito, à propria ſignificatione deſciuit, & rem mendacem ſignificat atq; confictã, Vnde illud: Fabulę, in priori ſignificatione accepit Hieronymus in Cõmẽt. in Epiſt. ad Phil. totã Sãſonis fabulã dixit. Orig. Hom. 5. in gen. de Lot locutus, Refertur, inquit, illa famoſiſsima fabula &c. in ea ſignificatione eſt vſus Euſebius Cæſarienſis, libro 3. Eccleſiaſt. hiſt. capitul. 23. & citat Clementem Alexandrinum. Diuus Hieron. Caſtrutio ſcribens. Verùm fugiamus ab hoc verbo iam, ne offendiculo fratribus ſimus, Sic etiam Chriſtum creaturam nõ audemus dicere cum ſanctis, ne videamur Arrianis fauere, ita docent, Baſilius, Cyrillus, alijque plurimi. At Hieronymus nihil tale veretur, Ephes. 2. cap. cui ſuffragari videtur Aug. Epiſt. 57. & Cyrillus, lib. 10. ſuper Ioannem, cap. 15. Damaſ. lib. 4. cap. 15. Sic etiã ſcholaſtici noſtri poſt Aug. negãt Chriſtum appellandum hominem Dominicum, cùm id non formident Chryſoſt. homil. quadam de Cruce domini verſus finem. Didym. lib. 3, de Spiritu ſancto. Sic etiam, etſi aliquando videantur ſancti concedere, verbum aſſumpſiſſe hominem, Auguſt. in expoſitione Regulæ, Origin. Matth. 13. Hieronym. ad Galat. 1. Irenæus, Boetius lib. de duabus naturis, Greg. Nyſenus. Ser. natalis domini. Ambroſ. lib. 5. de fide cap. 5. Hylarius, lib. de Trin. 9. Aug. lib. 83. quæſtionũ. q. 59. & de fide & ſymbolo, cap. 4. & lib. 9. de ciuit. Dei, cap. 17. Tamen ſcholaſtici nolunt eũ loquendi modum ſequi. Legatur diuus Thomas, 3. parte, q. 4. ar. 3. ad primum arg. & q. 16. art. 3. & 8.

QVAE-

QVAESTIO IIII.

Quot linguis, & quando vetus teſtamentũ tranſlatum eſt?

Reſpondetur. Primò, poſt captiuitatem babylonicam, quando poſt diuturnum ſeptuaginta annorum exilium, ferè vulgus Hebraicum ſermonem obliuioni tradiderat, Vetus teſtamẽtum in Syriacam ſeu Chaldaicam linguã, qua ferè vniuerſi Hebræi vtebantur, tranſtulerunt viri tres; Onchelos, legem: Ionathas, prophetas: Rabbi Ioſeph, Pſalm. prouerb. Iob &c. quæ agiographa vocantur. Ita tradit Elias leuita in prefat. lib. 3. Mozoret. Secunda tranſlatio famoſa fuit ex Hebræo in Græcum: & eſt illa Septuaginta tam celebris tempore Ptolomei Philadelphi. An fuerint ſeptuaginta duo, an tantum ſeptuaginta, ego parùm laboro. Tertia tranſlatio etiam in Græcam linguam aſſeritur, cuiuſdam Aquilę Synopenſis, trecentum annis poſt illam Septuaginta interpretum, qui ſpreto baptiſmate, Iudęus eſt effectus Adriano Imperatore. Quarta trãſlatio, annis ſex & quinquaginta poſt illam ſecuta eſt Symachi Samaritani, qui etiam poſt, Iudęis adhęſit ſpreto Chriſto, quem in baptiſmate induerat Seuero imperante. Quinta fuit Theodotionis Epheſij Marcionitæ ſub imperio Cõmodi. Sexta incerto autore, ſub Caracalla Imperatore in Iericho dolio operta inuẽta eſt. Septima ſub Alexandro Mammæa Imperatore ſine autoris nomine reperta eſt Nicopoli apud Actium oppidum Epiri, & promõtorium. Octaua prodijt à Luciano martyre, & heremita, apud Nicomediam manu eius ſcripta: reperta eſt ſub Magno Imperatore Conſtantino. Hæc Eutimius, & Epiphanius in poſtrema parte epitomes, cùm de ponderibus & menſuris agit: Has omnes Origenes in Octaplis poſuit, aſteriſcis, ſeu ſtellis & obelis quæ obſcura illuminent, ornauit. De autore Vulgatæ noſtræ trãſlationis inter peritos ambigitur; Hieronymi tamen eam eſſe, rationabiliter multi defendunt, quicquid dicit Galatinus noſter libro 11. capit. primo interrogatus à Hog, Quæ eſt iſta Targum Hieroſolymitana? reſpondit ea fortè (vt ipſe opinor) quæ à noſtris Vulgata editio nuncupatur: cuius autor ignotus, exponentis magis quam interpretantis modum

tenuiſſe dignoſcitur. Cuius vtrum quę dictum mihi nunquam probabitur; ſicut nec multa alia quæ lib. toto illo de arcanis catholicæ veritatis dixit.

QVAESTIO V.

Tot ne tranſlationes iuuant legentes?

Reſpondetur, Maximè, ſi modò noſtra Vulgata vt Authentica omnibus pręferatur, & vt docet Aug. li. 2. de doct. Chriſt. cap. 12. legẽtes, negligentes nõ ſint. Multum enim iuuat pluriũ codicum inſpectio. Eſaiæ 58. dicitur. Et carnem tuam ne deſpexeris. Alius, domeſticos ſeminis tui, id eſt, Chriſtianos ex eodẽ verbi ſemine natos ne deſpexeris. Hic ſenſus congruit Paulò, qui cognatos, ſolitus eſt vocare carnem ſuam. Rom. 11. Si modò ad æmulationem adducere potero carnem meã. Eſaias dicit. c. 7. Niſi credideritis, non permanebitis, id eſt, niſi per fidem ambulauerimus, quę in rerum temporalium, quibuſdam cunabulis, quaſi lacte alit paruulos, ad ſpeciem peruenire non poterimus, quæ non tranſit, ſed permanet per intellectum purgatum nobis cohęrentibus veritati. Alius, non intelligetis, & probè ſimiliter, quoniam intellectus in ſpecie ſempiterna eſt. Pſal. 15. Septuaginta legunt, Multiplicatæ ſunt infirmitates eorũ, & poſtea acceleraverunt. Hiero. multiplicabuntur idola eorum poſt tergum ſequentium. Sed ſenſus eſt idem. Et Pſal. 108. Caro mea immutata eſt propter oleũ. Legunt Septuaginta, intelligitur abſq; oleo, id eſt propter ieiuniũ. Itaq; propè ſemper ex varijs his interpretationibus, & tranſlationibus magnum aliquod inſinuatur ſcienter legentibus, quia licet verba varientur, ſenſus diuini ſpiritus ſemper ſibi conſtat idem.

QVAESTIO VI.

Iuuat ne ad archetypa ſcripturarum, ſeu ad ipſos fontes primos recurrere?

Reſpondetur, plurimum olim, modò non ita, poſt Concilij ſanctionem, & quia ſunt adulterata; ſed iuuabat quondam cum non eſſent vitiata. Ita Hiero. in Epiſt. ad Vitalem. Idem lib. aduerſus Heluidium. Idem in Epiſtola ad Suniam & Fretelem. Recurrimus, inquit, in libris Veteris teſtamenti ad Hebræos codices, noui vero, ad Grẽcos. Legatur Auguſt. contra Fauſtum lib. 11 cap. 2. Legatur Grego. 2. Mor.

cap.24.Sic facit Hieron. Zach. 8.& Zacha.7. Ezech. 14. in procœmio quæſtionis in Geneſin. Orig. homil.11.in Hierem. verùm firmũ ſemper eſto Hieronymi decretum in Epiſt.ad Lucinium,& habetur D. 9. cap. Vt veterum Oportet,inquit,& id,quod in vſu eſt,atque in Eccleſijs legitur exponere , & quod in Hebræis codicibus inuenitur, intactum non prętерire.De Marci Euãgelio, quòd fuerit Latinè ſcriptum opinatur Ioannes Cãtacuzenus Imperator Conſtantinopolitanus Apolo. 4. Sed abſq; ratione.Nam D.Greg.Nazian. in catalogo diuinæ ſcripturæ nõ dicit Euangeliſtam ſcripſiſſe Italicè , ſed in Italia. De Euangelio Matth.& Epiſt.ad Hebræos,quòd fuerint Hebraicè conſcripta, autores ſunt, Hieronymus Oſeæ cap.11.& Eſaiæ 6 Euſebius libro 3.hiſt. cap. vlt. Nazian. atque Irenæus, multiq; alij. Hieronymus addit in catalogo ſcriptorum, de Mathæo loquens,ipſum Hebraicum vſque hodie haberi,in Cæſarienſi Bibliotheca. Niſi quis dicat Hieron. loqui de Euangelio Nazaræorum apocripho, quo Hæbionitę hęretici vtuntur & aliquando D.etiam Hiero.vt videre eſt ſuper Matth. 6. & Epheſ. 5. & Matth. 12. & in procœmio libri decimi octaui ſuper Eſaiam, & in libro de viris Eccleſiaſticis, in vita Iacobi, & libro tertio contra Pelag. circa principium. Sed Erasmus quidam, & etiam Caietanus de Euangelio Matth. quod id non fuerit Hebraicè ſcriptum , ſed Græcè; Idem arbitratur de Epiſtola ad Hebræos, Sed falſò.

QVAESTIO VII.

Fontes ne illi incorrupti adhuc permanent?

Reſpondetur, modò non permanent , licet ſuo tempore de Hebræorum libris, aliud affirmat Hieronymus, in Commentarijs ſuper Eſaiam 6. adducitur Orig. in octauo volum. explanationum Eſaiæ.Affirmat Ambroſ.lib. 2.de Spiritu ſancto cap.6. At verò poſt Hieronymi ætatem non eſt Eccleſia mendicata libros à Synagoga,ſed his, quos à patribus accepit,vſa eſt.

QVAESTIO VIII.

Iuuat ne ad puriorem ſcripturæ intelligẽtiam linguarum plurium cognitio?

Reſpondetur cum diuo Hieron. Ezech. 40.

Quàm maximè. Legatur Hieron. in Epiſt. ad Marcellam tomo 3. de nonnullis nominibus quæ adhuc manent Hebręa apud nos, ob reuerẽtiam vocum. Legatur D. Aug. in Epiſt. 178. & lib. 2. de doct. Chriſt. ca. 11. Quando codices variant, quo conſilio ſit vtendũ, legatur Aug. lib. 11. contra Fauſtum, & Pſal. 105. De numero librorũ Authenticorum, & de Veteris editionis certitudine nõ dubito poſt Cõcil. Trid. quod me rẽ hanc pleniſsimè docuit, quãuis de hoc ipſo optimè laborauerint antiqui Patres.

QVAESTIO IX.

Poſſunt ne in ſummam aliquam redigi, quæ tam longa ſerie diuina ſcriptura perſequitur?

Reſpon. Poſſunt. In vndecim enim capita tota ſcriptura redigitur. Primum, rerum ſubſtãtiam ac diſtinctionem à Deo conditam prædicat liber Geneſ. Secũdum, legale ſacerdotium, ipſiuſq; modum enunciant cæteri libri legis. Tertiũ, ſortes Dei populo diſtributas, ac poſſeſsiones narrat Ioſue liber. Quartũ, ſanctorũ Iudicũ, ſapientiũ Regum, piorum Sacerdotũ, ſenſum & prudentiã celebrãt Libri Regũ, Iudicum, Paralyp. Quintum, veterum hominũ inter varios ac multiplices triſtium caſus, mirabilem conſtantiam, immobilemq; Philoſophiã loquitur liber Iob, Iudith, Eſter, Machab. libri. Sextũ, agendæ vitæ monita tradit Prou. Eccleſiaſtes, Eccleſiaſticus, Liber Sapientiæ. Septimum, diuinorum amorum carmina dulcia, & effigies diuinas proferũt Salom. Cãtica. Octauum, futurorũ prædictiones, plenas doctrina ſalutari enunciantur in reliquis Veteris inſtrumenti libris, Prophetis maioribus & minoribus. Nonum, diuina dñi Ieſu in humano corpore opera loquitur, quatuor Euangeliorũ voluminibus. Decimũ, diſcipulorũ eius mores, atq; inſtituta diuinitus tradita, & ad Dei ſimilitudinẽ imitãdo ducentia, ſanctiſsimaſque doctrinas, vt in Actis Apoſt. & in Epiſt. ipſorũ. Vndecimũ, Arcanam illã ac myſticã omnino viſionẽ dilecti diſcipuli, diuinamq; dñi Ieſu, & altiſsimam Theologiam, eis qui dij fieri merẽtur, exponit Apoc. eoſq; per myſteria ſacra, & diuina ſuſtollit, & confirmat.

QVAESTIO XI.

Diuinæ literæ patiuntur ne regulas aliquot, atque præcepta, quibus inſtrui oporteat eum, qui

minimo cum faſtidio, ac non cum maximo labore in ipſis verſari diutiùs decreuerit?

Reſpon. Sunt ſanè quædam præcepta huius diuinæ artis, non contemnenda, ſed modis omnibus amplexanda diuinarum ſcripturarum amatoribus, quibus ipſarum ordinem, proprietates, legeſque abſque labore nimio diſquirant diligenter. Legatur Chryſoſt. homil. 35. & 39. in Ioann. Gregor. in præfat. 2. libri Moral.

QVAESTIO XI.

Diuinæ literæ requiruntne tractatorem ſuum ac Myſten geographum, hiſtoricum, humanioribus literis peritum, Dialecticumq;?

Reſp. 1. de Geographia terræ ſanctæ, quàm ea ſit proficua, legatur Hieron. in prologo li. Paralip. & lib. de locis Hebraicis, & in Epiſt. de morte Paulę. Secũdo. De cognitione hiſtoriæ. Legatur Hieron. in pręf. Cõment. Dani. Aug. lib. 2. de doct. Chriſt. cap. 28. Quem enim non delectat ſcire, eum, cui Dominus dixit, Mitte mortuos ſepelire, &c. Matth. 8. fuiſſe, aut Philippum Apoſt. teſte Clem. Alex. 3. Stromate: aut Matthæum teſte Tertulliano lib. de Bap. fol. 3. Scire ſimiliter per hiſtorias Lazarum annum agentem trigeſimum à Domino excitatum, & pòſt, totidem annos vixiſſe, teſte Epiphanio libro 2. in hær. Manich. fol. 7. Scire etiam in extrema ſenectute, annum agentem 80. ſanctiſsimum Ioſeph ſanctam Dei matrem vxorem duxiſſe, ſicut autor eſt Epiphanius libro ſecundo in hæreſes eorum, qui negabant Euangelium Ioan. & lib. 3. in hær. Antidico. cum tamen de eo ſcribat diuus Hieronymus lib. aduerſus Eluidium, virginitatem ſeruaſſe. Scire nihilominus quod is faber lignarius fuerit, non ferrarius aut argentarius: ſicut teſtatur Iuſtinus in Triphone, fol. 34. Et de tempore, quo Dominus in AEgypto exul fuerit, iuuat legere Aretam in Commen. in Apocap. cap. 35. Quoniam tempus & tempora, & dimidium temporis, id eſt, tres annos cum dimidio, Epiphan. lib. 3. in hær. Antidicomarianorum duos tantum annos exilij ponit. Quod repetit libro 1. tom. 1. ca. vltimo. Nicephorus libro 1. cap. 14. tres: Gracianus, ſeptem: 23. q. 3. circa principium. An non placet quoties locus Paul. Act. 21. occurrerit. Nõ-

ne tu es AEgyptius, &c. Legiſſe hanc hiſtoriã apud Euſeb. lib. 2. hiſt. cap. 21. & apud Ioſeph. lib. 20. de antiquitate cap. 6. De Galilæis, quorum ſanguinem miſcuit Pilatus ſacrificijs, & de ruina turris Siloe ſuper 15. homines, Lucæ 13. Legantur Theophylactus, & Eutimius ſuper Lucam, Eumenius Act. 6. qui omnes de Galilæis dicunt, eos docuiſſe non honorare neque ipſum Regem; cuius rei gratia, ſuper ſacrificia, quæ ab ipſis prohibebãtur fieri, pro Rege, & Principe Romano ſunt interfecti; Suidas, verbo, Pilatus, longè aliter hiſtoriam narrat, nempè, Pilatus eos occidit volens Corbonam expilare. Scire Chriſtum matri apparuiſſe omnium primæ. Ita Nicephorus libro 1. capit. 33. Ambroſ. libro 3. de virginibus. Item, An Samuel ſacerdos fuerit, an tantùm leuita. Illud prius affirmant multi, hoc poſterius Diuus Hieronymus, libro 1. contra Iouin. quia faciebat ei mater, dicit ſcriptura, Ephood bad, id eſt, ſuper humerale, quod erat Leuitarum & ordinis minoris. Et in Pſal. 98. non annumeratur inter Pontifices, & ſacerdotes, ſed inter eos, qui inuocant nomen

men Domini. Idem in explanatione Pſalm. 44. Idem contra Vigilan. Nazianzenus in Apologia ſentit cum prioribus. Scire, quid Dominus ſcriberet digito ſuo, dum defendit adulteram; quoniam omnium, qui aderant peccata. Ita Hieronymus, libro ſecundo contra Pelag. Scire Platonem fuiſſe tempore Hieremiæ Prophetæ; legatur Ambroſ. libro de Noe & arca. capit. 8. & in Pſalm. 35. & in Pſalm. 118. Sermo. 18. vt intelligas ipſum potiùs de literis noſtris habuiſſe, quæcunque vera & bona dixerit, quàm nos de ſuis; maximè Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſicut affirmabant quidam Platonici dementiſſimi. Scire 42. annos poſt Chriſti mortem datos Iudæis ad faciendam pœnitentiam. Legatur Hieronymus. Eſaiæ 45. Zacha. 11. Scire deſcriptionem illam, quæ facta eſt à Præſide Syriæ, &c. Lucæ 2. Act. 4. Legatur Ioſephus libro 18. Antiquit. cap. 1. Scire, an quod Paulus dicit Roma. 15. Per vos proficiſcar in Hiſpaniam, fecerit aliquando; quod ſic, Hieronym. Eſaiæ 11. & Amos 5. Theophilact. Chryſoſt. circa principium Epiſtolæ ad Hebr. Epiphan.

lib.

libro primo contra hęr. in hęresi Arpocratis, Chrysost. Matth. 24. homil. 76. 1. Corinth. 4. homil. 13. & de laudibus Pauli homil. 7. Gregor. lib. 31. Mor. cap. 37. Ansel. Rom. 15. & Ecumenius ibi. Aliqui citant Sophronium, fusceptum fuisse à Probo in domum suam. Quod non venerit, affirmat Gelasius 22. q. 2. capit. Beatius; sub dubio relinquit diuus Hierony. ad Ephes. 3. & Sedul. in Epistola ad Rom. Scire. 14. Neronis anno, decem integros annos in partibus occidentis, à Paulo consumptos, de quibus nihil Lucas, qui librum suum in quarto Neronis anno absoluit, quia vt dicit Theophilactus 2. Tim. 4. Pincernam Neronis ipsius ad fidem Christi conuerterat, æstuansque ira caput diui Pauli præscidi iussit. Scire, quid Irenæus dixerit de Christi ætate libro secundo aduersus hær. Valent. capit. 40. & 39. facit eum ætatis. 46. annorum: vt non multum errauerint Iudæi, apud Ioannem dicentes, Quinquaginta annos, &c. Affirmatque hoc ipsum à diuo Ioanne Christi discipulo se accepisse, & à senioribus, qui Dominum viderant. Alij trigesimo anno mortuũ fuisse affirmant. Lactantius Firmianus de vera sapientia cap. 10. Tertul. lib. aduersus Iudæos, Eusebius in Chronicis. Trigesimo anno baptizatus, tres menses prædicauit, dies decem, quousq; imminẽte die Paschatis, mortem oppetijt. Subscribit Africanus quinto tẽporum volumine, quem citat Hierony. Comenta. Dan. & Clemens Stromate. 1. versus finem. Alij, & id verisimum est, 32. annos impletos, &. 33. inchoatum Dominicæ ætati dãt. Ita Ignatius, epistola ad Tra. Epiphanius lib. 3. in hære. Antidiomarianorum: idem lib. 2. hæresis Manichęorum, fol. 9. Mortuus est Dominus anno. 18. Tyberij, autor est Nicephorus lib. 1. cap. vlti. Orosius lib. 7. cap. 4. dicit, quòd anno. 17. Tiberij completo, incipiente anno. 18. Orig. hoc de. 33. annis confirmat, in homil. diuersorum locorũ. Apollinarius similiter Laodicenus, referente Hierony. in Cõment. Dan. id affirmat. Scire tria Paschata Christum celebrauisse à baptismo Ioannis. Ita obseruat Irenæus lib. 2. cap. 39. in primo, conuertitur in vinũ aqua: in secundo, curatur paralyticus, qui iuxta natatoria iacebat annos. 38. in tertio, multitudo

titudo ſatiatur iuxta Tiberiadis mare; vltimo moritur. De tertio, id eſt, humanarum literarum peritia perneceſſaria legitimo interpreti ſcripturarũ ſanctarum, legatur Iuſtinus li. 2. de doct. Chriſt. ca. 40. Ab iniuſtis (inquit) poſſeſſoribus ſunt à nobis vendicãda, & ab AEgyptijs Domini præcepto aurea, atq; argentea vaſa auferenda furto laude ſatis digno: Legatur Ecumenius Act. 8. ita ſuo exemplo faciendũ, nos monent antiqui Patres in humanis literis exercitatiſsimi. Certè de Moyſe, ſcriptura teſtis eſt, quàm optimè calluiſſe AEgyptiorum ſcientias, qui tunc omnium ſcientiſsimi habebantur; de Daniele, Chaldæorum artes tenuiſſe probè. Legatur de hac re Orig. homil. 4. in Exod. Hierony. ad Damaſum in expoſitione parabolæ de filio prodigo, quo loco eleganter de muliere captiua Deutero. 21. loquitur. Legatur Baſilius Magnus in homilia ad adoleſcentes. An non delectat pios legere, quæ de primis Chriſtianis ſcripſit iunior Plinius in Epiſtola ad Traianum; Et quod de Chriſto domino teſtimonium profert Ioſephus libro 18. Antiquit. cap. 4. & quæ de hac re ſcribit Hierony. lib. de viris illuſtribus, & in Epiſtola ad Magnum Oratorem, qui etiam ſanctus ethnicorum floribus abundat: ſicut & Theodoreto in decem lib. de cura Græcarum affectionum contigit. Euſebius, Aug. lib. præſertim de ciuit. Dei, ſua ſtudia illorum vigilijs illuſtrat, & ornat: vt interim Prophetas, Chriſtum Dominum, & ipſos etiam Apoſtolos omittamus, qui id crebro factitarunt. De Dialectica legatur Clemens Alexan. Stromate. 1. Auguſt. libro 2. de Doct. Chriſtian. capit. 31. & 32. Hierony. ad Paulinum de Iob dialecticiſsimo loquens. Auguſt. contra Greſconium Grammaticum cap. 14. & ſequentibus, addu cit illud Act. 20. de Paulo, Diſputabat cum Iudæis. Apud Eſa. 1. venite diſputemus, &c. De Geometria, bona pars ſcripturæ tractat, ea præſertim, quæ de diuiſione agrorum terræ promiſsionis, & de fabricatione Arcæ, & de Ezech. templo eſt. De Arithmetica, liber Numerorum, & mixtim in ſcriptura. De Aſtronomia, cum de cœli figura, & ipſius agitatione atque vertigine, & quatuor cœli plagis ſermo inſtituitur. De ornamentis Rhetorices, paſsim,

paſsim,cùm dicat Aug.lib.de doct.Chriſtian ſe facilè poſſe oſtendere omnia ornamenta il lius artis in ſcripturis ſanctis poſſe inueniri. D animantium,lapidum,arborum naturis, paſ ſim in literis arcanis occurret.

QVAESTIO XII.

Num in nominibus hominum,vrbium,locorum, aliarumq; rerum in Scriptura ſancta vllum Sa cramentum latet?

Reſp.Latent complurima:Legatur Orig. ho mil.25.Num.nolo tamen putes cum Orig.ni hil ad hiſtoriæ veritatem hæc nomina perti nere,ſed tantùm ad intellectum myſticum co texendum valere,quod aſſeruit ipſe,homil.25 &hom.12. Longè ſecus Hieron. in proœmio Malachiæ Prophetæ,& in Comment. in Ab diam,& Zachariam 4.cap.qui hiſtoriæ veri tatem iubet cum primis ſeruari: ac mox mo net ſpiritualem intelligentiam requiri curio ſiùs. Baſilius homilia 6 exam. expreſsiùs ho mil 9 in exam.nomine Orig.ſuppreſſo.

QVAESTIO XIII.

Redigi ne poſſunt ad iuſtum numerum cauſæ ob quas nomina fuerint impoſita in arcanis literis?

Reſp. Quàm maximè: cauſæ ſunt quatuor. Prima, à contigenti caſu, ſic appellatur lignũ ſcientię boni & mali, teſte Chryſoſt.Hom.16. in Gene.Fuit ficus,Nicephorus lib.1.Hiſt.cap. 27.quia poſt eſum ipſius,ſpoliatus gloria, ſci uit & expertus eſt nuditatem; vel vt vult Eu cherius,lib.1. Com.in Gene.cap.13.quia eſu illius didicit homo,quid eſſet obedientiæ bonũ, & inobedientiæ malum, vel vt docet Auguſt. lib. 8. ſuper Gene.ad lit.cap.6. Malum fuit ho mini lignum ab euentu, ſicut alia arbor ibidẽ poſita,dicta eſt arbor vitæ. Sic teſte Hieron.in Eſai. cap. 62. ab euentu dictus eſt Dominus ci to ſpolia detrahe Eſai. 8. Filij Zebedæj, filij to nitrui: quorum alter intonuit illud verbum, In principio erat verbum &c. Abraham, pa ter electus, poſtquam ei eſt dictum, In ſemine tuo benedicentur &c. Num. 13. Nehel, eſcol, i.torrens bothri dicitur,quòd illinc bothrũ ex portaſſent exploratores terrę ſanctę,Ioſuę 7. vallis Achor,id eſt,turbationis,dicta eſt,quod ibidem Acham fuerit lapidibus obrutus. Act. 1.Achaeldema,id eſt,ager ſanguinis dictus eſt, quod Chriſti ſanguine conſtiterit. Gene.31.de

tumulo ſuper quo fœdus pepegerunt Iacob & Laban. Eſau factus, id eſt, piloſus, ſicut eſſe ſolent homines ætate iam prouectiori. Sarai, id eſt, princeps mea, ſcilicet, vnius familiæ: pòſt verò, Sara, id eſt, princeps abſolutè. Ita obſeruat Hierony. in q. in Gene. Iſrael, id eſt, vir cernens Deum, aut rectiſsimus Dei, vel præualens in Deum: ita adnotat Ioſephus lib. 1. antiquit. verſus finem, quem reprehendit Hieron. in quęſtionibus in Gene. Secunda cauſa eſt à tribu, & cognatione; ita obſeruat diuus Hierony. in Epiſt. ad Philem. Sic Saulus, à Saule, qui fuit de tribu Beniamin; ſic Ioannes Baptiſta vocatur Zachar à cognatis &c. Sic Iudas Scariothis, teſte Hieronymo in Matth. cap. 10. vel à vico, vel ab vrbe, in qua eſt ortus, vel à tribu Iſacar vocabulum ſumpſit: vt quodam vaticinio in condemnationem ſui natus ſit. Iſacar enim ſignificatur merces, vt ſignificetur pretium proditionis. Sic Simon Chananęus à vico Chana, Galileæ. Tertia cauſa eſt ex virtutum vocabulo; obſeruat Hierony. in proœmio in Malach. ſic Michæas, id eſt, humilitas. Abdias, id eſt, ſeruus Dñi. Zacharias memor Domini. Adde etiam

etiam ex deſiderio imponi filijs nomen à parentibus: ſic Ioſeph dictus eſt additio: ſic Ioannes Baptiſta vocatus eſt à patre Ioannes; deſiderabat enim fore Deo gratum filium ſuum. Idem à præſagio: ſic Abel dictus, id eſt, vanitas, quia breui moriturus erat. Adam, id eſt, terra, quia de ea aſſumptus, per peccatũ in ipſam erat reuerſurus. Quarta cauſa eſt, ipſa operatio; ſic Ieſus, Saluator, quia ſaluaturus erat populum &c. Legatur Theophil. Matth. 1. De nominibus Angelorum legatur Beda, in Comment. Luc. lib. 1. capit. 3. ſumpſit ex Greg. Homilia 34. in Euangelia. Gabriel, fortitudo, enunciat eum, qui eſt fortis in prælio. Raphael, medicina. Michael, quis ſicut Deus. Sed de ratione nominum legatur diuus Thomas 3. parte quęſtione. 37. artic. 4. Audiatur tamen in his Hieronymi conſideratio, in. q. in Geneſ. Vt nominis Græci, non niſi Græca ratio conſideretur: & ſimiliter nominis Hebraici, Hebraica. Et exemplum ponit in nomine Sarra, inſinuans tacito nomine Ambroſium. Quatuor leguntur in ſcriptura ſancta Veteri, quibus nomen impoſitũ eſt, ante natiuitatẽ; Iſ

mael,Iſaac,Salomon,Ioſias.Hieroymus libro quæſt.Gene.Subſcribit Eucherius lib.2.in Geneſ. capit. 26. &in q.in Luc.Albinus legit Salomon;Eucherius in Gene.legit Samſon . Sed de Samſone, neque Iudicum 13. neque in libro Regum quicquam talelegimus.Chryſoſtom. ſuper illa verba, Amos genuit Ioſiam; tres recenſet,Ioſiam, Iohānam,Samſonem,Samuel. Hieronymus in Epiſtola ad Cyprianum ait Inter vndecim Pſalm. Moyſis, qui incipiunt à Pſalm. 89. Pſalm. 98 dicitur Samuel inter eos qui inuocant &c. vbi nomen Samuelis ponitur antè multò, quàm naſceretur. Sicut prophetatum eſt de Ioſia 3 Regum 13.Ita Hilarius in proœmio Pſalm.ita Auguſt lib 17. de ciuit Dei cap.14.Ioſephus addit quintum, libro vndecimo de antiquit.cap.1. nempe Cyrum Regem Perſarum , & Medorum ; eum ſequitur Hieronymus lib. 12. comment.in Eſai. verſus finem,Gregor.in præfat. lib.1. Mor.cap.1. addit Iob,hic vixit antè legem datam, ita Orig. Homil.4. in Ezech. & lib.3.ad Rom.& lib.3. contra Celſium: Theodoretus in epitome capit.de creatione.Euſeb. de demonſt. Euangelica cap.3. & 4. Hierony. in quæſtionibus in Gene.Origen. in principio lib Iob.Iob ante Moyſen.Epiphan.lib.1.contra hære.circa principiũ lib. Iob. ſcripſit Moyſes. Autor eſt Philippus presbyter lib,1.Comment. in lib. Iob. cap. 36. Orig.in prefat.in lib.Iob,Interprete Perionio. Rabbi Moyſes camhi lib.de autoribus Bibliorum.Iſidorus lib.1.officiorum cap.12. De quo locupletiſsimè magiſter meus Dorantius in Comment. ſuper Iob, quos iam cudere parabat,niſi tu Pater ampliſs:Regio iuſſu eum vocaſſes, vt Altitudini inuicti Domini D. Ioannis de Auſtria eſſet à conſilijs,& à confeſsionibus indiuiduus comes:Spero tamen illum prę lo mandaturum quæ diximus Commẽt. quibus hæc & alia nos docebit doctiſs. ille Pater totius noſtri Franciſcani inſtituti iubar vnicũ, literis & moribus miro ſplendore micans.Ille inquam, ſicut cõtra Caluinum acerrimè ſuis ſcriptis glorioſè decertauit pro fide orthodoxa,ita quotidie nõ ceſſat vberiores fructus laudis & meritorũ ordini noſtro accumulare.Sed de his ſit in præſentia ſatis;quia aliò nos vocat interciſa oratio.Abſoluimus prędictis quęſtio-

 nibus

nibus (licet perfunctoriè & succinctè) multa, quæ vtilitate in maxima in lustranti scripturã sunt allatura. Diligentia enim & pietas non minùs necessariæ sunt, quàm doctrina: quibus petẽda est à Deo scripturarum sanctarũ expositio. Diuinus etenim quasi quidam est fluuius scriptura sacra, planus & altus, in quo agnus ambulat, & Elephas natat. Nec sic clausa est, vt pauescí debeat: Nec sic patet, vt vilescat, & tantò amplius diligitur, quantò amplius meditatur; vt per sanctè docet diuus Gregor. 20. lib. Mor. cap. 1. Etenim aliquando sacra pagina sic loquitur, vt altitudinè superbos irrideat, attentos profunditate terreat: magnos veritate pascat, paruulos affabilitate nutriat, vt bene docet Aug. de vtilitate credẽdi. Inest scripturæ veritas & reficiendis animis accommodatissima disciplina, vt nemo non inde haurire possit, quod sibi satis est, si modo ad hauriendum deuotè, ac piè, vt vera religio poscit, accedat. Magnas certè affert legẽtibus delicias. Quicquid enim in ea est, altum & diuinum est, in qua mẽtis oculis, quasi quoddam speculum opponitur: vt interna nostra facies in ipsa videatur. Ibi enim

enim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus, ibi sentimus quantùm proficimus, ibi à profectu quãtùm distamus. In ea enim abundat, & quod perfectus comedat, & quod paruulus sugat: ibi est & lacteus potus, quo tenera fidelium nutriatur infantia, & solidus cibus, quo robusta perfectorum iuuentus spiritalia sanctæ virtutis accipiat incrementa, & vt Fulgentius docet in quodam sermone, ibi tandem est, quod omni ætati congruat, ibi, quod omni professioni conueniat, dummodò, qui legit scripturas cùm ad eas perscrutandas accesserit, illud Apostolicum cogitare non cesset, Scientia inflat, charitas ædificat. Agẽdum est igitur, vt ad cognitionem diuinarum scripturarum potius id quod non intelligit trãseat, quàm cor suum præferat illi veritati. Ante omnia igitur Deiti more opus est, & tali mitescere pietate, nec cõtradicere diuinæ scripturæ, etiã nõ intellectæ, & cogitare potius & credere id esse melius & verius quod ibi scriptũ est, etiãsi no slateat aliquid eius; vt bene nos monet diuꝰ Aug. 2. de doct. Christ. Diuinæ autẽ literæ illis aperiũtur, qui occupati nõ sunt in alijs negotijs, aut quinõ trãsitoriè le-

gunt, ſed his, qui recto & ſimplici corde iugi labore, continuiſq; vigilijs, altiùs diuinas ſcripturas ſcrutantur, & fideliter, & humiliter requirunt. Nam qui ſacram ſcripturam ſcrutantur, vt malint eſſe docti, quàm iuſti, & aliud quærunt, quàm Deum, non ex toto corde quę runt eum. Scrutabantur Scribę & Phariſęi, vt haberent, quæ dicerent bona, quamuis facerẽt mala: de quibus in lib. Sapientiæ, Quærunt, inquit, me mali, & non inuenient. Diligentia igitur & pietas adhibenda ſunt: altera fit, vt ſcire mereamur, altera verò, vt ſcientes, quæ inquirimus, inueniamus. Conuenientiſsimum fuit, diuinas literas ad noſtrum ſe attemperare ſermonem. Nam & Paul. ſapientiam loquitur inter perfectos 1. Cor. 2. Et quibuſdam dicit, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus 1. Cor. 3. Vnde conijcimus teſte Aug. Sacram ſcripturam, ſuam habere linguam, & quicumque hanc neſcit, turbatur: quæ aperta continet, quaſi amicus familiariſsimo ad cor loquitur indoctorum atque doctorum: ea verò quæ in myſterijs, occultat, inuitans omnes humili ſermone: non ſolùm manifeſta

manifeſta paſcit, ſed etiam ſecreta exercet veritate, & quicquid vno loco figurata locutione, aut obſcurè dicit, planiſsimè dictum alibi reperitur, teſte Aug. 2. de doct. Chriſt. cap. 6. Et figuratę locutiones ſuauiùs nos afficiũt, quàm ſi eadem ſententia planis verbis diceretur; cùm hoc tamen ſacræ literæ non oſtentant, ſed eloquentiã habent. Omnes nãq; virtutes, & ornamẽta eloquẽtiæ eſſe in ſacris literis, monſtrare ſe poſſe, dicit Aug. lib. 4. de doctr. Chriſt. cap. 6. & 7. vnde Ambroſ. Epiſtola 63. Scriptores, inquit, diuinorum librorum, quamuis non ſecũdum artem ſcripſerint, ſed ſecũdum gratiam, quæ ſuper omnem artem eſt, ij tamen, qui de arte ſcripſerunt de eorum ſcriptis artem inuenerunt, & contulerunt commenta artis, & magiſteria. Vnde Rupertus Abbas lib. 7. de operibus Spiritus ſancti, omnes Rhetoricę orationis partes in ſcriptura ſacra pleniſsimè cõtineri, exemplis ex illa petitis, oſtendit; quę quoniam ab eo fuſiſsimè explanantur, ad illum, lectorẽ mittimus; quæ quia legentes non probè intelligunt, noxam incurrunt, non ſcripturæ culpa, ſed ipſorum legentium. Panis namq; nutri-

mentum affert ac ſalutem, ægris autem ſæpe eſt inutilis, ſic & omnis ſcriptura diuina ex Deo eſt, atque admodùm fructuoſa, nihilque per ſe immundum atque impurum retinet, aut præbet, niſi ei, qui illud putauerit eſſe impurum; Hoc tamen commodi elicuit Deus, vt multa, quæ latebant in ſcripturis, aperta ſint, hæreticis eccleſiam exagitantibus. Proficit enim ſemper contradictio ſtultorum ad ſtultitiæ demõſtrationem, autore Aug. 8. de Trinit. Et ſacra ſcriptura pro auditorum viribus & vtilitate dimetitur, quæ denũciat, teſte Orig. lib. 4. contra Celſum. Nam quemadmodũ nos ipſi vbi cum pueris minutioribus oborta eſt diſceptatio, non noſtras dicendi vires attendimus, ſed illorum imbecillitati nos ipſos accommodantes, non ſolùm his conſentanea loquimur, ſed ea etiam facimus, quæ ad puerorum videntur emendationem ſatisfacere, & illis non parùm cõducere. ſic & Dei verbum; Vnde Deut. 1. dicitur, Portauit te Dominus Deus tuus, vt ſolet homo geſtare paruulum filium ſuũ &c. Quaſi humanos mores Deo ſacra ſcriptura imponat, vt hominibus conferat. Quare omnia diui-

na eloquia ſalubria ſunt intelligentibus bene, periculoſa tamen his, qui ea volunt ad ſui cordis peruerſitatem detorquere. Hęc enim magna & vſitata peruerſitas ineſt hominibus, quia cùm debeant ipſi viuere ſecundum Dei voluntatem, Deum volunt viuere ſecundum voluntatem ipſorum, Et cùm ipſi nolunt corrigi, illum volunt deprauari. Nam ſi attendiſſent quæ legebant, comperiſſent, nihil eſſe in ſacris literis, quòd non ingentem theſaurum contineat, ſi ipſi debiti eſſent ſcrutatores, quandoquidem diuino Spiritu afflati Prophetæ locuti ſunt. Neque enim vel ſyllaba, vel articulus eſt in ſacris literis, in cuius profundo non ſit grandis quiſpiam theſaurus, ideo in eis nihil contemnatur, aut obiter prætereatur. Opus enim eſt, vt diuina gratia ducamur, & Spiritu ſancto illuſtrati eloquia Domini adeamus. Neque opus habet diuina ſcriptura ſapientia hominum, vt intelligatur, ſed reuelatione Spiritus, vt hauſto inde vero ſenſu, magnum nobis lucrum accreſcat. Namſi in ſcriptis, quæ de ſecularibus negotijs ab hominibus conficiuntur, ſæpeque

tempore corrumpuntur, vel vnam proœmij ſyllabam deeſſe multũ momenti habet: quan tò magis hoc in ſcripturis diuinis à Spiritu ſan cto compoſitis inuenitur, modò ſobrij ſimus, vt non temerè progrediamur, ſed intenta men te diligenter omnia conſideremus, & non negligentiores ſimus alijs, qui hoc ſtudio in profanis vtũtur. Enim verò, qui metalla effodiũt, non in ſuperficie manent, ſed cum valde profundè deſcenderint, & auri ramenta habere potuerint, magno labore & conſtantia, ea, à terra ſeparant, poſtque multum illum laborem, breuem aliquam laborum inueniunt cõſolationem. Veruntamen licet hi ſciãt, quòd ſæpe vtilitatem recipiant, laboribus non reſpõdentem, vt pote minorẽ, & quòd ſæpe poſt tot vigilias & labores etiam expectatione ſua fruſtrẽtur, neq; ſic deſiſtũt, ſed ſpe alũtur: quòdſi illi tantum præſe ferunt ſtudium in corruptibilibus, incertis, & noxijs, multum magis decet, vt nos, vbi diuitiæ auferri nequeunt, & theſaurus abſumi non poteſt, & ſpe non aberrat, par, vel maius ſtudiũ adhibeamus, vt hinc aliquo fructu percepto, deſiderata aſſequi poſſi-

poſſimus, agnitaq; ineffabili miſericordia Dei, gratias agentes Domino, eius nobis fauorem conciliemus, & diaboli retibus non illaqueemur. De his plura te docebit Chryſoſt. Homilia 21. & 24. ſuper Geneſ. Diuinarum ſcripturarum autoritas maior eſt, quàm omnis humani ingenij capacitas, quibus potius credendum eſt, quàm angelis de cœlo deſcendẽtibus, aut mortuis reſurgentibus, vt patet Lucæ 16. vbi cum diues ille rogaret Abraham, vt mitteret Lazarum, reſpondit ei, Habent Moyſen & Prophetas, ſi illis non crediderint, nec mortuos reſuſcitatos audient. Nec tibi perſuadeas aliquid in ſacris literis ſuperuacaneum contineri. Deus loquitur, & tu audes dicere, nulla eſt dictorum vtilitas? Etenim ſi ij, qui fodiunt metalla, nec minima quidem fruſtula prætereũt, verum vbi nacti fuerint aliquam venam auri, meatus omnes exactè circumſpiciunt; multò magis hoc facere nos oportet in ſcripturis, & tamen in metallis difficile eſt inuenire, quod venantur. Etenim cum & metalla ſint terra, & aurum nihil aliud ſit quàm terra; ipſa quoque naturæ communio ſimilitudoq; celat aſpectum

pectum eorum, quæ quæruntur. Attamen nec ſic quidem deſiſtunt illi, ſed omnem adhibent diligentiam, etiamſi poſtea quàm inſpexerint, ſciant, quod verè ſit terra, quod verè aurum. In ſcripturis autem non eſt eadem ratio. Neque proponitur aurum terræ mixtum ſed purum eſt aurum. Eloquia (inquit) Dei pura, argentum igni exploratum, probatum terræ. Siquidem ſcripturæ non ſunt metalla, quæ indigent operariis, ſed theſaurum præbent paratum ijs, qui quærunt opes in ipſis reconditas. Satis eſt enim introſpexiſſe, vt omni expleti fructu diſcedatis: ſatis eſt aperuiſſe, vtilicò videas gemmarum ſplendorem. Sed quid loquor de temporibus & nominibus, tituliſque? Diſce quantùm valeat, vnius tantũ literulæ adiectio, ac deſine tota contemnere nomina. Patriarcha noſter Abraham (noſter enim eſt potiùs quàm Iudæorũ) priùs dictus eſt Abrã, quod interpretatũ ſonat tranſitorẽ. Poſt hæc nomine commutato dictus Abraham, pater factus omnium gentium, & vnicum elementum adiectum, tantum principatum vendicauit iuſto. De hoc Hieronym. in capit. 3. ſuper Epiſtola ad Epeſ. Singuli, inquit ſermones, ſyllabę, apices, & puncta, in diuinis ſcripturis, ſenſibus plena ſunt. Debet ſacra ſcriptura amari priùs à nobis, quàm diſci. Vnde iuniores quidam illam non intelligunt, quia aut oderunt, aut non amant. Quare perperam adulterinos ſenſus ex ea conantur eruere, & quæ non intelligunt, vel aliorſum interpretantur, vel magno orationis impetu, maledictiſque lacerantes, aliquid ſe proficere magnum exiſtimant. Sacræ ſcripturæ obſcuritas vtilis ſupra modum eſt, quia diuerſas ſententias parit, dum alius ſic, alius verò ſic, eam intelligit. Et ſicut oportuit Moyſen velare faciem ſuam, quando loquebatur ad populum, ne videntes Aaron & filij eius claritatem vultus, timerent propè accedere: ſic Prophetas oportuit groſsiore velamine ſenſus intimi claritatẽ tegere, quia videlicet illius temporis homines Iudęi, nullatenus ſuſtinerent, ſi ſacramẽta Chriſti & Eccleſię, quæ nouerant planis, & apertis vocibus prædicarent. Ita Hieronym. in 5. Comment. in Eſaiæ capit. 21. In nouo etiam teſta-

teſtamẽto, diuus Paul. triuiali ſermone vtitur nonnunquam; & Apoſtoli & Euangeliſtæ, aliquando veteris teſtamenti adducunt teſtimonia, ſenſum, & non verba citantes, & tamen ſermonum varietas Spiritus vnitate concordat; quamuis nec cum Septuaginta nec cum Hebræis verba conueniant. Exempla ſunt plura, quam in præſentia ſint afferenda. Ita nos docet Hieronymus ad Pammach. de optimo genere interpretandi. Idem in Eſaiæ cap. 29. Sermo ſcripturæ diuinę ſimilis eſt alicui ſeminium, cuius natura hęc eſt, vt cùm iactum fuerit in terram, regeneratum in ſpicam, vel in quamcumque ſui generis ſpeciem, multipliciter diffundatur, & tãtò cumulatiùs, quãtò vel peritus agricola plus ſeminibus laboris impenderit, vel beneficium terræ fœcundioris indulſerit. Sic ergo efficitur, vt culturæ diligentia exiguum ſemen, verbi cauſa, ſinapis, quod eſt minimum omnium, efficiatur maius omnibus oleribus, & fiat arbor, ita vt veniant volatilia cœli, & habitent in ramis eius. Ita & ſermo, qui nobis ex diuinis voluminibus legitur, ſi peritum inueniat & diligentem colonũ cum primo attactu inueniatur exiguus & breuis, vt cœperit excoli, & ſpiritaliter retractari, creſcit in arborem, in ramos & virgulta diffunditur, ita vt poſsint venire diſputatores & Rhetores huius mundi, qui velut aues cœli leuibus pennis verborum dumtaxat pompa excelſa ſectantur & ardua, & rationibus capti, velint habitare in ramis iſtis, in quibus non loquendi decor eſt, ſed ratio viuẽdi. Diuus Cyrillus lib. 1. in Leuit. in hoc propoſitum ait, Sicut in nouiſsimis diebus verbum Dei ex Maria virgine, carne veſtitum proceſsit in hunc mundum, & aliud quidem erat, quod videbatur in eo, aliud, quod intelligebatur: carnis namque aſpectus in eo patebat omnibus, paucis verò & electis dabatur diuinitatis cognitio; ita & cùm per Prophetas vel legiſlatorem verbũ Dei, profertur ad homines, non abſq; competentibus profertur indumentis. Nam ſicut ibi carnis, ita hic literæ velamine tegitur, vt litera quidem aſpiciatur tanquam caro, latens verò intrinſecus ſpiritualis ſenſus tanquam diuinitas ſentiatur. Vnde non ita facilis patet aditus ad ſcripturas penetrandas vt falſò ſibi perſuadent

dent nonnulli, vt teſtimonio ſanctorum patet; ideo Hierony. ad Pauli. Scripturarum ſemitas ſine monſtrante nemo poteſt ingredi, quia nimirum vt Aug. rectiſsimè ſcribit, ſancta ſcriptura omnibus acceſsibilis eſt, (id eſt ab omnibus poteſt legi) quamuis pauciſsimis penetrabilis, (id eſt intelligibilis). Ita Petrus Apoſt. de Paul. Epiſt. quæ Chriſtianorum manibus frequentiùs terebantur, ſic inquit 2. c. 3. Domini noſtri Ieſu Chriſti longanimitatẽ ſalutem arbitremini, ſicut in omnibus Epiſt. loquẽs, in eis, de ijs in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem: mons eſt ſcriptura, non oportet plebes ſacratiſsimis & altiſsimis diuinæ legis myſterijs per ſe ipſas, ſed per Moyſen, id eſt, per eum, qui ſit in diuinarũ rerum myſterium electus, præſentes aſsiſtere: ſatis eſt turbę ſi Moyſen habeat, qui dicat, Hæc dicit Dñs. Ipſe tamen, qui populo legem Dei pronunciat cũ ingenti cordis & animi puritate hoc faciat, magis Deo quàm ſibi ipſi fidẽs. Nam qui loquitur, loquatur ſermones Dei, vt ſic omnis Scriba doctus in regno Dei, ſit ſimilis homini patrifamilias, qui profert, dum paſcit gregem ſuum prædicando, aut legendo, non indoctas fabulas, non inſanias falſas, non fabulationes impias, vt Rabinorum fautores, ſed de theſauro cordis ſui noua & vetera, hoc eſt, noui & veteris teſtamẽti teſtimonia, in germano & catholico ſenſu allegata. Hoc tamen teſtor & dico, quod nihil periculoſius, nihil damnabilius, quàmſi ſacra ſcriptura in non ſuo ſenſu fuerit allegata, ſicut mos eſt Rabinis & hæreticis. Quantò enim plures ſcripturas quaſi per capillos etiam retinentes, ad ſua dogmata fulcienda trahunt & torquent, tantò maiorem fidem ſibi & fauorem apud indoctum & inſtabilem populum conciliant: qui non probat ſemper, vtrum ſpiritus ex Deo ſint, ſed ad perditionem ſuã ruens cuilibet verbo credit, maximè ſi quid nouum aut curioſum ſonet. Accipienda ergo eſt recta ſcripturæ expoſitio ab his, qui verbum Dei nõ adulterãt, & ſcripturas nõ deprauant, ſed illas ex ſinceritate tractãt. Tales enim ſancti Doctores ſpernendi nõ ſunt, ſed honore ſummo proſequendi, ſcripta quoque eorum omni cũ re-

uerentia ſunt amplectenda, filij altiſsimi ſunt, animata templa Spiritus ſancti, lux mundi, cãdelabra aurea, ſunt cœli enarrantes gloriam Dei, ſunt riuuli ex fonte ſapiẽtię & puteo aquarum viuentium exuberantes, nubes ſunt pluẽtes iuſtum, cultores in vinea, paſtores in caulis, & diſpenſatores multiformis gratiæ Dei, quibus Deus incerta & occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtauit, quibus datum eſt noſſe myſteria regni Dei. Hoſtis ergo pernicioſiſsimus Chriſti eſt & Eccleſię Dei, qui hos ſeruos Dei proſcindit conuitijs, fugillat verbis, blaſphemat ſcommatibus, extenuat mendacijs. Nam quod illi ædificauerunt cum Chriſto, hoc iſti deſtruũt. Qui ſanctos Doctores audit, Chriſtũ, qui eos miſit & Spiritum ſanctum, qui eos vnxit, & omnẽ docuit veritatẽ, audit: & qui eos ſperint, Chriſtũ ſpernit, qui ſapientiã verã illis dedit affluẽter. Vnde & Sodomę & Gomorrhę remiſſius erit in die illa, qua Dñs iudicabit orbẽ terrarũ in iuſtitia, quã generationi iſti nouatorũ peſsimę, de quibus ſcriptũ eſt, Ezech. 2. Subuerſores tecũ ſunt, & cũ ſcorpionibus habitas, homines attrita frõte & duro corde. Quę omnia ſi conſideraſſent ij, quibus cum nobis eſt controuerſia, nunquam tanta licentia effrenes currerent per deuia loca ſanctis inuiſa & nunquam grata, audentes limare (vt ipſi dicũt) loca ſcripturæ, cum illud potiùs ſit eam exterminare. Lege gloſſam quam dicimus ordinariam ſuper cap. 8. Matth. verbis illis, vbi Centurio dicit, Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic, vade: & vadit, & alio, veni: & venit: ibi gloſſa, carpit eos, qui datiuum, alio, ſecundum grammaticam anti quam, vertũt nouiter in datiuum, alij, audentes vocẽ ſcripturæ emendare: quid nunc diceret autor illius gloſſæ, ſi noſtra ętate videret audaces homines ſcripturam ſecundo quoque verbo aliter vertentes, nouam difficultatem & diſſenſionem ſuſcitantes in Eccleſia. Præceſſerãt graues morbi & ſatis lethales, qui diu Eccleſiam exagitauerunt, præſtò tamen fuit antidotum & occurrens medicina, quia graues & varij Doctores omnes hæreſes ante noſtra tempora ſuſcitatas, ſuis ſcriptis reſciderunt. Hoc dixerim, quia eis, qui ſacros autores & expoſitores pedibus terunt, nulla re

præſentanea magis medicabimur, quàm ſi ab eiſdem doctoribus petamus ſanam intelligentiam ſcripturæ, quatenus aliter ſentientium audacia penitus compeſcatur. Suſcipe ergo pie lector, quæ ſancti vera dixêre, & illis inſiſte, ſpretis quibuſcunq; cauillis ſycophantarum. Nam & matrem Eccleſiã, ſicut & Chriſtum, audire oportet, vt Salom. ait Prou. 1. Audi fili mi diſciplinam, id eſt, doctrinam patris tui Chriſti, & ne dimittas legem matris tuæ, id eſt, Eccleſiæ ſponſæ illius. Et iterum Prou. 6. Conſerua fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, liga eã in corde tuo iugiter ad ruminandam, & circunda eam gutturi tuo ad eam docendã omni populo. Quare per Doctores ſanctos fidei veritas per ſcripturarum veram expoſitionem eſt declarata. Nouæ hereſes in corpore Chriſti, noui & lethales morbi ſunt, quibus obuiandum eſt ſtatim, ne per longas moras conualeſcant. Nouæ hæreſes, noua bella ſunt in regno Chriſti; at illa bella optimè finiuntur, ſi mox vt ſe impij cõtra regnum Chriſti erigũt, & priuſquàm multitudine ſe muniant cum complicibus, itur eis

obuiam per gladium verbi Dei; & ſi impia dogmata reuocare recuſant, etiam in corpore occiduntur, vel carceribus perpetuis mancipantur. Melius eſt enim vt vnus aut alter homo moriatur, quàm per eum tota gens ſeducatur, & pereat in anima & corpore. Sic oportet ignem iſtum, cùm paruus eſt, extinguere, qui ſi neglectus fuerit, vorax flamma totam ciuitatem deuaſtabit: & hoſtis contemptus in principio, vallatus poſtea iniquorum adiutorio, mentes multorum occupat. Hæc parabola eſt temporis inſtantis: qui aures audiendi habet, audiat. Modica ſcintilla fuit Arrius, exigua etiam fuit inſania Lutheri, amborum tamen falſa dogmata ferè totum orbem deuaſtarunt. Væ vobis viris impijs, qui vinum optimum, quod in menſa ſacræ ſcripturæ electis proponitur, aqua miſcetis falſitatis, & errorum fecibus, de quibus bibunt multi peccatores terræ, ſic vinum purum optimum & pretioſum, felle & aceto miſcetis veſtræ nouæ & temerariæ expoſitionis (ne dicam hæreticæ) & bibendum illud porrigitis, vel, porrigebatis Chriſti membris vt turben-

tur,&inſaniant,vt dicit Hierony. cap.25. Verùm Ieſus cum guſtaſſet noluit illud bibere: erudiens nos,vt ſi quando calix nobis porrigitur felle draconum & veneno aſpidum falſæ doctrinæ mixtus,nullatenus bibamus, neque intra viſcera cordis noſtri glutiamus per conſenſum. Sic legimus in Act Apoſto. capit 19. Multi, qui curioſa fuerant ſectati, antequam audierunt verba vitæ,& Chriſto fuerunt initiati per Apoſtolos, poſtquàm conuerſi ſunt ad Deum, mox confitebantur peccata & actus ſuos. Multi etiam,qui curioſa fuerant ſectati, contulerunt & combuſſerunt libros ſuos coram omnibus. Hoc modo ſcriptorum eſt expurgandum fermentum, vt paſcha noſtrum,quod Chriſtus eſt,non in fermento veteri,nec in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſynceritatis & veritatis comedere poſsimus: vt in omnibus præceptum Pauli ad Philip.4. ſequamur,qui ait, Quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iuſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ,ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate, quæ & didiciſtis & acceptiſtis. Qui verè doctus eſt, debet cum doctis,cum Eccleſię columnis,cum amatoribus veritatis,quæ prædicat,conferre,cum Apoſtolo Paulo,ne in vacuum currat; ſi hoc ille fecit, qui fuit in tertium cælum raptus, & tam arcana verba audiuit, quæ non licet homini loqui, qui Euangelium ſuum habuit per reuelationem Ieſu Chriſti,nihilominus tamen cum Apoſtolis contulit Euangeliũ,quod gentibus erat prædicandum,vt ſecundũ mentem Spiritus ſancti,verbum Dei gentibus proponeret. Eſt autem intellectus ſcripturæ, ſuper mel & fauum dulcior, ille, quem Spiritus ſanctus in eà intendit,& voluit à nobis inquiri,& pro eo,ſi neceſſe foret,oppetere mortẽ; illo non inuento,non ſeruato, litera occidit, in qua canes impudici ſemper foris manent. Nec ex lectione ſcripturæ melius habent, ſed ſemper peiores fiunt & prauiores; vtque illa mulier infelix,quam ſanauit Chriſtus,ex medicis nihil conſolationis, ſed ſemper peius habuit; ſic & illi contra quos prælium initum iam finimus, Rabinis potius quàm Chriſto fidem hãbent: quorum cæcitas ex aſſertione

noſtra & regulis quas ſtatuimus facilè erroris & ſtultitiæ conuincitur.

OBtulimus tibi, Præſul ampliſsime, lucubrationes noſtras, & quos potuimus decerpere floſculos è campis plus quàm Elyſijs ſacrorum autorum, vt in debitam libertatem noſtram Vulgatam à iugo opprimẽtium eximerem: rem quidem mihi pluſquàm per triẽnium multis & aſsiduis laboribus cõparatam, quo toto opere nitebar (& vtinam ſim aſſecutus intentum) oſtendere quanto in honore ſit habenda noſtra Vulgata editio. Neminẽ toto hoc opuſculo, qualecunq; id eſt, cõuitijs lacesſere fuit animus; neminẽ maledictis impetere; tantũ in hoc totus incubui, vt ſanã doctrinã noſtro ſeculo ſuaderẽ, & quæ in Dñi vinea ſpinæ oriebantur, mihi extirpandæ ſunt viſæ: & hæc cura diuexat animũ meũ. Faxit Deus ita mihi ex animo cupiẽti ſuccedat. Si cui breuia videbuntur quę diximus, meminerit nos in hoc ſolum noſtrum inſtituiſſe ſermonẽ, quatenus Decretum Concilij in Vulgatæ totale patrocinium cõmentaremur. Quod ſi cui noſtra hæc interpretatio non omnino placet, ſentiat

tiat ipſe quod velit; mihi certè mea non diſplicet opinio, quam exemplis pluribus venuſtare intendimus parte ſecunda noſtræ aſſertionis, quam iam ad finem penè deduximus, in qua facilè tradentur ſigillatim & in particulari, quæ in vniuerſali prima aſſertionis parte, inuolutè tradidimus. Sed vt ad te Antiſtitem & Patronum meum (imò ſacræ fidei) reuertar, libuit Celſitudini tuæ quaſi ob oculos ponere multorum nomina, qui nos ante actis ſeculis præceſſerunt; in quibus habes (illuſtriſsime Antiſtes) exẽpla, quæ animũ tuũ ad pietatem natura propẽſum magis demulceãt, vt eos in gremiũ Eccleſiæ ſi velint redire, piè recipias, & paterno (quo noſtratibus præſtas) affectu foueas & cõplectaris. Exẽpla quę diximus, tibi imitãda proponimus ex lõga Cõcil. lectione, quę nõ ſemel legi & relegi, vt illis émolumẽto, & tibi obſequio, cliẽtulus ego tuus poſsẽ eſſe. Ideo collegi indicẽ hęreticorũ dogmatiſtarũ, qui ad veniã & miſericordiã animę, & corporis ſunt ab Eccleſia recepti, ſtatuto & præfixo illis termino, intra quẽ melius ſaperẽt & in mentẽ ſanã redirẽt. Decerpſi omnia quę referã ex Cõcilijs

cilijs impreſsis Coloniæ anno Dñi 1538. & 1. tomo, fol. 146. vt habetur in principio Concil. Niceni. Imperator Cõſtantinus miſit Oſium Epiſcopũ Cordubẽſem Alexandriã, vt Arrius retractãs ſuũ dogma dedoceret eos, quos ſua hæreſi infecerat, promittẽs ei, quòd ſi hoc faceret, nulla intercederet punitio, ſed omnes amicabiliter ei cõuiuerent. Eandem miſericordiã & veniam pollicebatur ſecundo eidẽ Arrio & Euzoyo, ſi ipſi tali venia potiri vellent: ſicut patet in fine cuiuſdam Epiſtolę quam eidẽ Cõſtantino hi duo hęretici cõſcripſêre, quæ habetur primo tomo Concil. prędictæ impreſsionis fol. 159. Concilio etiam Epheſino habetur quòd Patres bis ſcripſerunt ad Neſtorium, pacem & veniam rogando offerentes. Et tertio miſerunt ad eundẽ, eodẽ propoſito, vt conſtat ex eodem Concilio, 1. tomo, fol. 313. Idem Concilium mittit ad Neſtorium aliam Epiſt. offerendo ei veniã, in qua Epiſt. refertur memoria cuiuſdam Epiſt. quam ad eundem ſcripſerat Papa Celeſtinus aſsignãs ei decem dierum terminum, vt ſe cõuerteret, & ab hæreſi reſiliret. Item Cõcilio Chalcedonẽſi actione 3. fol. 453. vocatus eſt ter hęreticus Dioſcorus, & in 3. citatione monitus eſt, quòd ſi non veniret nullatenus Concil. ad miſericordiam eum reciperet, ſed ſicut contra pertinacem in eum procederet. Quinta etiam ſynodo generali quæ fuit ſecunda Conſtantinopoli celebrata folio 8. habetur, quod Papa Felix miſit Epiſtolam Petro Epiſcopo Antiocheno, in qua meminit aliarũ quas eidem ſcripſerat, ad veniam eum vocans & omnem indulgentiam ei pollicens. Et eodẽ Concilio habetur alia Epiſtola ad eundem hæreticum miſſa ab eodem Papa Felice, quæ incipit, Quis dabit capiti meo aquam &c. ad cuius calcem mirabile profectò eſt, quibus verbis & quantam ei ſe promittit miſericordiam præſtiturum. Lege tomo 2. Concil. fol. 10. eodem Cõcil. fol. 32. Extat alia Epiſt. Flauij Iuſtiniani ad Menam Patriarchã, qua dicit ſe damnare Anthimum hæreticũ, quia multoties rogatus noluit ſe corrigere. Et ita damnat eundem hæreticum, quoddã Concil. prouinciale, celebratum tũc Hieroſolymis, poſitũ quinta Synodo iã dicta, fol. 33. vbi dicunt Patres illius Concil. quòd damnãt Anthimũ quia reſpuit veniã toties

ties ei oblatam. In hoc idē, habetur alia Epiſt. 2. tomo Concil. fol. 1. quam Agapetus Papa no mine Concilij ſcripſit, ſignificans quāto deſi derio tenerentur omnes, remittendi Anthimo ſuos errores. Et actione 4. eiuſdem quintæ Synodi fol. 43. dicitur quomodo Anthimo taxati ſunt decem dies, vt ad remiſsionem veniret, & poſtea eidem decreuerunt alios ſex dies terminum prorogantes, vt habetur eadē actione 4. In ſententiā verò quam fulminat contra eum prędicta Synodus, iterū refert, quod multorum dierum terminus ei impendit. Idem dicit Mena Patriarcha in ſententia contra eundem, & habetur fol. 45. Idem dicit Petrus Patriarcha Hieroſolymitanus in ſententia contra eundem, fol. 46. Septima quoq; Synodo generali, vt habetur in ſanctionibus Eccleſiaſticis Ioberdij actione 1. fol. 94. & ſumma Conciliorum folio 299. & habetur prima, q. 7. capit. Conuenientibus, ibi decretum eſt, vt multi Epiſcopi hæretici reciperentur ſola manuū impoſitione: & ad hoc allegauerunt octauum Canonem Concil. Niceni, & tertium Canonem concil. Epheſini, & Epiſtol. Baſilij ad Amphilochiū, & Concil. Sardicenſe, & Athanaſiū & Chryſoſtomū, vt omnes illi hæretici ad miſericordiam reciperentur. Benedictus ſecūdus ſtatuit Macario Epiſcopo Antiocheno terminum quadraginta dierum, vt recantaret errorē: ita habetur ſeptima Synodo & refertur Canone, Cōuenientibus, prima, q. 7. Itē octaua Synodo generali (vt habet Ioberius fol. 111. & ſumma Concil. fol. 334.) quę fuit, quarta Conſtātinopoli celebrata, actione 2. venerūt multi Epiſcopi, qui conſenſerant hæreſi Photij, & eā prædicauerant: ſed quia eos pœnitere oſtenderūt, ſola manuū impoſitione recepti ſunt & veniā cōſecuti ſine aliqua alia punitione. Et actione 6. eiuſdem Concil. terminus ſeptem dierum ad veniam decretus eſt alijs Epiſcopis, qui venire recuſabant. Et eiuſdem Concil. actione 7. Papa Adrianus & Concilium, eundem Photium ad veniam inuitant, quam ei pollicebantur etiam poſtquam rebellem eum damnauerant. Concil. itidem Conſtantienſi, ſeſsione 19. & 21. colligitur, quòd per multos dies detinuerūt Patres in carcere Hieronymum de Praga præſtolantes eum vt ad veritatem cum venia redi-

rediret,quod quia renuit publicè cõbuſtus eſt. Omnibus prędictis Cõcil. prędati dogmatiſtę ad veniam inuitabantur,quamſi non ſunt cõſecuti,per illos,& non per Eccleſiam ſtetit. Et poſtremò Concilium Tridentinum ſaluum conductũ proteſtantibus conceſsit,vt conſtat ſeſsione 13. ad finem, & in principio anteSeſsionem 14.& in fine 15. Seſsionis. Berengarium etiam admiſit ad veniam Papa Nicolaus ſecundus in quodam Concilio Romano, Epiſcoporum 113. & habetur de cõſecratione diſt. 2. Canone,Ego Berengarius:& priùs Leo nonus remiſſerat ei noxam,Concilio Vercelenſi. Et inter hæc duo Concilia interceſsit aliud, Turonenſe dictum,tempore Papæ Victoriſecundi , quo etiam eidem Patres pepercerunt: imo his omnibus tribus Concilijs impenſa eſt ei venia,dummodo abiuraret:& hęc tria Concilia incuria temporum perierunt. Et ita Alfonſus de Caſtro, de hæreſibus, verbo, Euchariſtia,hæreſi. 4. fol. 317. dicit , quòd aliud non eſt credibile , niſi quòd multa Concilia cum his tribus interierunt , ſiquidem in impreſsione,quam Pariſiẽſem habemus,tranſit ordo

ordo à quinta Synodo Conſtantinopoli celebrata,tranſit,inquam,ſtatim ad Concil. Conſtantienſe. Et vero ſimilius eſt quod multa alia coacta ſunt Concilia cùm tantum temporis interſtitium inter hoc Concilium & illam Synodum interceſſerit. Hæc ſunt quæ potui colligere,è generalibus Concilijs; nam prouincialia modò non refero. Semper ergo, Præſul vigilantiſsime, in hoc ſuas operas impendit Eccleſia,vt hæreticorum animas,quò minori poſſet eorum detrimento,lucraretur. Quæ patrum indulgentia, licet in aliquibus perditis & obſtinatis non fuerit ſuum intentum conſecuta , in alijs tamen locum habens non eſt ſua larga benignitate fruſtrata. Quare audi iam Pater illuſtriſsime, alios hæreticos aliquando à fide profugos,in eandem tandem, pollicita & adepta venia,redactos, quãtum potui colligere ex Concilijs nuper Coloniæ impreſsis,anno videlicet ab orbe redempto 1567. Sicut colligitur ex prima Epiſtola Cornelij Papæ, 1. tomo, pagina 223 in verbo, Deus autem omnipotens, &c. Maximus presbyter cum alijs confeſſoribus,qui hę

retici fuerant, conuerſi ſunt omnes ad fidem. Epiſtola 3. Cornelij ad Cyprianum 1. tomo, pag. 226. in verbo, poſtea vero, dicitur, quòd Vrbanius & Sidonius, & prędictus Maximus volebant ſe ad Eccleſiam conuertere. Idem colligitur Epiſtola 6. Cypriani ad Cornelium primo tomo, pa. 230. verbo, denique nouato, Marcellinus Papa poſtquàm idola coluerat, conuerſus, pœnitentiam egit & mortuus eſt & occiſus martyr pro Chriſto. Primo tomo, pag. 291. 3. Epiſtola Papæ Euſebij ad calcem illius dicitur, quòd multi hæretici ad fidem redibant. Primo tomo, pag. 311. verbo, ſimiliter, eodem tomo, pag. 338. & 339. narratur, quòd multi Arriani conuerſi ſunt ad fidem, inter quos Euſebius Epiſcopus Cæſarienſis. Lege ibi, verbo, Arriani, & verbo, id quod cognitũ eſt. Eodem tomo, pag. 427. verbo, cæterum ſcribitur, quòd multi Arriani ad fidem ſunt conuerſi, quod & fecerunt, Vrſitius & Valens & alij quos ibi refert pag. illa. Eodem primo tomo, pag. 518. paragrapho Manichęos, dicit Anaſtaſius Papa 1. Epiſtola, quod conuertit multos Manichæos ſalutarem eis iniungendo pœnitentiam. Eodem primo tomo, pag. 547. verbo, non agitur, in quadam Epiſtola familiari miſſa ad Innocentium primum, per quinque Epiſcopos datur intelligi, quòd Pelagius erat iam correctus & conuerſus: quod in dubium vertitur, ſicut inde colligitur, & ex Epiſtola 27. eiuſdem Innocentij ad eoſdẽ prędictos Epiſcopos, vt eſt videre 1. tomo, pa. 551. verbo, nobis tamen. Primo tomo, pag. 662. & autor conciliorum ibi docet, Ioannem Epiſcopum Antiochenum ad fidẽ fuiſſe conuerſum, & amicitiam inijſſe cum ſancto Cyrillo, damnando Neſtorium. Leo Papa primus Epiſtola 38. recepit alios hæreticos qui cõuerſi ſunt ad fidem 1. tomo, pag. 754. verbo, de fratribus. Lege ad idem Epiſtolam 44. eiuſdem Leonis, quæ habetur 1. tomo, pag. 757. Idem Leo, Epiſtola 85. dicit, quòd Donatus cum ſua plebe, conuertit ſe ab errore Nouatiani: & idem dicit de Maximo. Lege 1. tomo, pa. 799. paragrapho Donatum. In Conc. Chalcedonẽſi actio. 8. Theodoretus anathematizauit Neſtoriũ, & maledicens eius hæreſi ad fidem ſe conuertit. Vide tomo 2. pagina 166. Iuſtinus Imperator petijt

petijt à Papa Hormisda vt reciperet eum ad integritatem pacis Ecclesiæ, & ita factum fuit. Lege secundo tomo pag. 359. & 360. in vita Hormisdæ. Et quod gens eiusdem Iustini Imperatoris conuersa fuerit ad fidem dicit ipsemet, in quadam sacra quam misit ad eundem Hormisdam 2. tomo. pa. 362. Episcopus Constantinopolitanus vocatus Ioannes misit ad eundem Papam Hormisdam, fidem Catholicam confitendo, anathematizando Nestoriũ, & alios hæreticos, quos fuerat aliquando secutus. Idem dicit Papa Hormisda in Epistola quam mittit ad Episcopos Hispaniæ. Lege 2. tomo. pag. 362. & 365. Augustus Iustinianus Apostolicæ sedi se subiecit, & adorauit Papã Agapetum, vt patet in vita eiusdem Papæ, quæ habetur 2. to. pag. 400. Gothi, cum Rege Ricaredo, cum essent Arriani, conuersi sunt ad fidẽ: ita Pelagius docet in Epistola ad vniuersos Episcopos Italiæ 2. to. pag. 669. & 671. Concil. Hispalẽsi 2. actione 12. habetur, quòd hæreticus quidam conuersus est ad fidem ab errore Acephalorum, tomo 2 pag. 720. In actibus Theodori Papæ legitur, quod Pyrrhus de

Aphrica

Aphrica Romam venit, retractans quæcunq; ipse, cum esset Episcopus Constantinopolitanus dixerat contra Ecclesiam Romanam. 2. to. pag. 759. Papa Martinus primus in Concil. Lateranensi, quod ipse celebrauit, retulit quãdam Epistolam quam ei miserat Maurus Episcopus Rauẽnensis conuertens se & abnegans hęresim Pyrrhi Episcopi Constantinopolitani. Qui Pyrrhus, licet visus est conuerti, postea creditur in eundem errorem fuisse relapsus. Sicut colligitur ab Episcopo nũcupato, Deus dedit. Vide to. 2. pa. 768. &. 770. In decretis Papæ Doni legitur, quod Ecclesia Rauẽnæ, quæ à Romana discesserat, ad eam humilis redijt 2. to. pa. 893. Concil. Niceno. 2. actione. 1. venerunt tres Episcopi de Cõciliabulo Constantinopolitano, in quo fuerunt imagines damnatæ, & omnes tres venientes ad Concil. Nicenum, se cõuerterunt: fuerũt hi Basilius, Theodorus, & Theodosius. Habes. 3. to. pa 52. Synodo Nicena. 2. actione. 3. conuersus est Greg. Episcopus Neocęsareę. 3. to. pa. 79. Octaua Synodo actione. 2. venientes multi Episcopi, Diaconi & Subdiaconi, qui consenserant hæresi Pho

tij, & pœnitentes pœnitentiam, ad eam ſunt recepti.3.to.pa.531. Eadem Synodo. 8. actione 8.&.9.aduenerunt multi ſacerdotes qui ſe cõ uerterunt: inter quos Ioſephus vicarius ſedis Alexandrinæ.3.to.pa.533. Item Berẽgarius cõ uerſus eſt ab errore quem conceperat circa ſa cramẽtum Euchariſtiæ, & licet relapſus fuit, redijt tandem ad fidem tẽpore Greg. ſeptimi in quodam Concilio Romæ habito:& perſeuerauit in pœnitentia viuendo,imo moriẽdo. Hoc accidit tempore Nicolai ſecũdi,& Greg. ſeptimi.3.to.pa.600.&. 601. In decretis Greg. Papæ ex Platina deſumptis,refertur,quòd Hẽricus Imperator ab errore ſuo ſe conuertit, licet poſtea recidiuauit.3.to.pa.602.&.603.Cõcil.Conſtantienſi quoq; Seſsione.19. cõuerſus Hieronymus de Praga abiurauit: ſed ſtatim Seſsione.21.recidit in priorem hęreſim,quare brachio ſeculari traditus, combuſtus eſt. 3. to. pa.857.&.872.Etiã ſub Eugenio quarto,Græci à ſuo errore cõuerſi ſunt.Lege to.4.pa.205. in Epiſtola Synodali Cõcilij Baſilienſis. Item multi Græci Concil.Florentino, Seſsione vltima,relictis erroribus ad fidem ſunt conuerſi, ſpe-

ſpecialiter confeſsi ſunt Spiritum ſanctum à filio etiam procedere.Ibi.4.to.pag. 464. vbi eſt etiam cõuerſio Ioſeph Archiepiſcopi Cõſtantinopolitani.Itidẽ Cõcil.Lateranẽſi, ſub Leone decimo, Seſſ. 7. Bernardinus Caruajal, & Franciſcus de Sãcto Seuerino abiurarũt ſchiſma quod concitauerant , & recepti reſtituti ſunt ad Eccleſiam.4.to.pa.598. Tãdem autor ſummæ Conciliorum ait, quòd tempore Papæ Lucij ſecundi,coactum eſt in Francia Cõcilium contra Biliardum, qui rationibus conuictus,fidei ſe ſubmiſit , & poſtea religionem profeſſus eſt.Sed hoc ego non reperio in Cõcilijs,neq; in ſummorum Põtificum vitis. Tempore Alphonſi Carrillo Archiepiſcopi Toletani,habitum eſt Concilium Cõpluti, contra Petrum Oxomenſem , vbi abiurauit errores aliquot quos dixerat:& Sixtus quartus confirmauit ſententiam quam tulerat Archiepiſcopus.Sed neq; hoc habetur in Cõcilijs,niſi quod dicitur , quòd Originale illius Bullæ eſt in Bibliotheca Eccleſiæ Toletanæ,& in Eccleſia S. Vincentij ciuitatis Placentię.Etiã fertur quòd in quodam Concilio,diſputãtibus multis Epi

ſcopis contra hæreticum quendam,nũquam ab eis conuictus eſt: aſſurgens verò contra hæreticum idiota quidam ſed ſanctus, ita cõcluſit contra illum,vt per omnia, Eccleſiæ ſubditum effecerit. Quod factum, etſi Cõcilia non narrant,hiſtoria tamen Eccleſiaſtica,li. 10.c.3. in Concil.Niceno hoc accidiſſe refert. Noſtrũ ergo conatum in hoc obeundo opere ſuſcipe, & te ſacrum Patronũ huic noſtro operi præſta. Quod ſi tibi,& Chriſti Eccleſiæ non omnino diſplicere ſenſero, recipiam animum vt & alias noſtras operas tuo munimine in publicum demus. Vale Præſul incomparabilis, moribus & vita integerrime,& omni literarũ ſupellectili ornatiſsime: dabo enim operã poſthac,vt noſtra ſtudia,ſi qua erunt, te Mecœnatem & protectorem habeant.

Explicit aſſertio Vulgatæ & veteris editionis iuxta Decretum Concilij Tridentini per R. P.F. Nicolaum Ramos,ſacrę Theologię prælectorem in Conuentu S.Franciſci Valliſoletani & nunc ibi Guardianum & Qualificatorem cauſarum ſancti officij.

PROVER. 30.

Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt ſperantibus in ſe; ne addas quicquam verbis illius & arguaris inueniariſq; mendax.

SALMANTICÆ

Excudebat Mathias Gastius

M. D. LXXVI.

INDEX ALPHABE-

ticus eorum quæ hoc tractatu principaliùs habentur. F. folium significat. A. paginam primam. B. docet secundam.

A

Abraham, plus significare quàm Abram, fol. 113.
Ad Hebræos, & Græcos fontes non esse recurrendum modò. fol. 6.19.20.29.56.57.
Aliâs, non dicit falsitatem sensus, sed lectionis varietatem. f. 11.*a.*
Ambrosius non semper græca exemplaria curabat. f. 54.
Andreas de Vega quid censeat de Vulgata. f. 1.*&* 2.*&* 24.
Augustinus quomodo exponendus. f. 10.
Augustini regulæ quædam. f. 96.
Authenticum quid significet. f. 21.*b. f.* 22.

B

Barbarismos non habet interpres noster. f. 84.85.86.
Bibliam nostram defendamus. f. 129.
Biblijs imprimendis quæ diligentia sufficiat. f. 27.98.
Bos, & Asinus ad præsepe Domini fuerunt. f. 101.

C

Cano quid sentiat de autoritate Vulgatæ. f. 2.
Cantica Salomonis quem habeant sensum literalem. f. 94.95.
Catharinus quid de Vulgata opinetur. f. 2.

Chri-

Christus quam eloquentiam elegit. f. 78. 79.
Chrisost. pueris non viris affectandam ait eloquẽtiam. f. 82.
Chrisostomus aliquando non tenendus. f. 98. & 124.
Concilia sententiam, & non verba scripturæ referunt aliquando. f. 5. & 6.
Concilia quatuor modis nexu hæresis ligant. f. 23. 24.
Concilij Tridentini de vulgata verus sensus & sanus. f. 9. 22. 23. 26. 27.
Concilium Viennense, quid intendat de linguarum lectione. f. 58.
Collatio latinorũ ad Græca & Hebræa, quid præstet. f. 66.
Codices Hebræi vitiati. f. 10. & 46.

D

Diuersorium in quo Christus est natus, nõ erat domus propria Virginis, aut Ioseph. f. 104.
Doctores consulendi sunt, vt scripturas intelligamus. f. 154. & 255.
Doctores aliquando exponendi, & non imitandi. f. 124. & 125.
Doctoribus non est detrahendum. f. 125.

E

Editio nostra & septuaginta, sensu conueniunt. f. 48. & 27.
Eloquentia carnalis non quadrat scripturæ. f. 29. & 78.
Eloquentia quotuplex. f. 78.
Eloquentes difficilè credunt Deo. f. 80.

F

Francisci stigmata defenduntur. fol. 102. & 103.
Franciscus Dorantius (si non pro meritis) laudatur tamen. fol. 147.

H

Hebræa, & Græca potiùs ex latinis sunt emendãda. f. 51.
Hæretici, quibus datæ sunt inducię ad pœnitendũ. f. 158.
Hæretici qui redierunt ad fidem. fol. 161.
Hieronymus non damnat Septuaginta versionem. fol. 37. 38. & 100.
Hieronymus non mutat verba, quæ non mutant sensum. fol. 41.
Hieronymus aliquã mutauit, quæ approbauit postea. fol. 43. 44. & 45.
Hieronymus nostram Vulgatam veteris testamenti vertit, noui testamenti saltem recognouit. f. 40. 49. & 50.
Hieronymus quo sensu dicat, aliud esse vatem agere, aliud interpretem. fol. 72.
Hieronymus factus est perfectè Christianus, quando desijt esse Ciceronianus. fol. 81.
Hieronymus non detrahit Euangelistis. fol. 114.

I

Inferni locus probatur ex scriptura. fol. 96.
Interpres vulgatæ habuit Spiritum diuinum, aut saltem diuino proximum. fol. 9. 26. 39. 72.
Interpres vulgatus nil oscitãter, aut ignorãter dixit. f. 26.
Interpretem vulgatum mordere quam malum sit. fol. 36. 37. & 39.

Interpres quomodo egeat diuino Spiritu.f.75.&.76.
Interpres Vulgatus si modò viueret, ipse se defenderet optimè.f.90.
Interpreti Vulgato multa vitia dantur, quæ potiùs in eius laudem faciunt.f.96.
Interpres Vulgatus fuit valdè peritus.f.106.
Iudæi vitiârunt scripturam,& quare.f.21.123.&.124.
Iudæi,& Græci quamdiu habuerunt fidei rectitudinem, habuerunt etiam scripturas veras.f.33.&.34.

L

Lectio etsi varia sit in Vulgata, non tamen est falsa in vtroq; sensu,aut in altero illorum.f.8.
Linguarum cognitio quid possit.f.139.
Literalis de Christo sensus in veteri testamento malè negatur.f.96.
Locus Esai.7.c.Ecce Virgo concip.&c. explicatur.f.93.
Locus Pauli.1.ad Corinth.c.2. Oculus non vidit: explicatur.f.97.
Locus Ezechiel.c.42.Eduxit me.&c.explicatur.f.98.
Locus Genes.c.4. Appetitus eius sub te erit.&c. explicatur.f.98.
Locus Sapien.c.12.Iustus ergo cũ sis.&c. explicatur.f.99.
Locus,Non resurgunt impij.&c.defenditur.f.99.
Locus Genes. Quod vxor Loth versa est.&c.defenditur.f.100.
Locus Genes.c.3.Ipsa conteret.&c.defenditur.f.7.
Locus Esai.c.16.Emitte agnũ Dñe.&c.defenditur.f.115.

Locus

Locus Psal.In inferno autem quis confit.&c. defenditur f.127.
Lucas Euangelista defenditur.f.101.

M

Magister Leo laudatur.f.19.20.& alibi pluries.
Mortuos reprehendere facilè est.f.91.
Mutantes scripturam arguuntur.f.155.

N

Nomina scripturæ,sua mysteria continent.f.144.
Nomina quas ob causas fuerint imposita.f.145.
Nouitas hæreseôs mater.f.14.
Nouatores vitandi.f.156.
Nouatores depinguntur suis coloribus.f.107.&.108.
Nouatores similitudine quadam damnantur, f. 116.117. 118.119.120.
Nouatores reprehenduntur.f.122.

O

Originalium fontes ad quid valent.f.138.
Originalia Græca,& Hebræa modò iã sunt vitiata.f.1.39.

P

Pagninus non multùm probandus,f.18.
Paulus linguarum non ignarus,f.108.&,109.
Paulus non est abusus hoc nomine testamentum,f.112.
Paulus non est excusandus,sed potiùs laudandus,f.19.
Parabolæ an sint res fictæ,f.134.
Pictura Iohannis recumbentis in pectore Christi defenditur,f.100.

Plato volebat poetas eloquentes exules à republica. f. 78.
Præsepe Domini affirmatur. f. 100.

R

Rabinorum deliria, & insanæ expositiones. f. 14. 15. 16. 17.
Rabinorum, præter, æquiualet contra. f. 14.
Regulas suas habet scriptura sacra. f. 140.

S

Sancti alicuius dictum, aliquando non est tenendum. f. 98.
Sensus literalis à doctoribus, non à Rabinis expetendus f. 12. & 13.
Scriptores, & impressores omnes in vna & eadem voce errasse possibile est: logicum, non tamen morale. f. 11.
Scriptura, quare est obscura. f. 131.
Scriptura figuris vtitur, & quare. f. 133.
Scripturæ sacræ libri quid contineant. f. 139.
Scriptura tractatorem requirit humanioribus literis peritum. f. 140.
Scripturas legenti quid opus. f. 147. & 148.
Scriptura suam linguam habet. f. 148. & 149.
Scriptura inuolutè loquitur. f. 152. & 153.
Septuaginta multa tacuerunt, & sensum, non verba reddebant. f. 60.
Solœcismus aliquando bonus. f. 88.
Speridion Episcopus reprehendit quendam verba scripturæ mutantem. f. 7.

T

Titulus Psalmi clauis est ad eum intelligendum. f. 114.
Trans-

Translationes variæ. f. 136.
Translationes aliquando sunt vtiles. f. 137.

V

Varia & duplex lectio non negant vtramquam esse veram & certam scripturam, licet vulgata variet. f. 8. & 11.
Varietas suspecta est. f. 52.
Vatablus ad quid sit vtilis. f. 16. & 17.
Verba communia sunt tenenda. f. 27.
Vetus interpretatio est tenenda. f. 92.
Vetus testamentum quomodo promittebat æterna. f. 129. & 130.
Vulgatam editionem commendantes. f. 25. & 26.
Vulgata si potest meliorari. f. 28.
Vulgata significantiùs & aptiùs explicat mentem Spiritus sancti; quàm aliæ translationes. f. 28. 29. 61. 62. & 63.

FINIS INDICIS.